TRACTATVS
PRO INVOCATIONE SANCTORVM,

contra Ioannē Monhemiū, & eius defensorem Henricum Artopæum.

Autore Ioanne Hessels à Louanio, sacræ Theologiæ Professore.

Rom. 15.

Obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.

Luc. 20.

Deus non est mortuorū, sed viuorum: oēs enim viuunt ei.

Luc. 15.

Gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

Huic autem Tractatui præmittitur succincta confutatio erroris, quo idē Monhemius cū Brentio asserit, Deum nihil nobis largiri intuitu orationū nostrarū: & , nos debere statuere Deum nobis esse propitium priusquam eum oremus.



LOVANII
Apud Ioannem Bogardum, Sub Biblijs Aureis. Anno 1562.

PRIVILEGIVM.

Cautum est Regiæ Maiest. Priuilegio, ne quis quatuor proximis annis pręter Ioannem Bogardum Imprimat, nec alibi impressum distrahat Tractatum pro inuocatione Sanctorũ, Autore Ioanne Hessels à Louanio: sub pœna in Priuilegio contenta.

Datúm Bruxellæ 18. Aprilis, Anno 1562.

Subsig.

Faacuwez.



Ræclarè admodum à maioribus dictum est: Error paruus in principio, maximus est in fine. Vnde & Christus doctrinã falsam fermentum vocat: quòd vt modicum totam massam corrumpit, ita vnus in religione error, sæpe totam quasi sanitatem doctrinę auferat. Exempli gratia. ex errore hodierno, quo omnia opera etiam iustorum statuũtur esse peccata, natus est & alius, quò peccata remitti docetur ea fide, qua quis illa sibi remitti credit. Atq; ex his velut fontibus duobus, ferè omnes reliqui errores, quos in libello suo habet Monhemius, originem trahunt.

Non pro eo quod fide accepimus, oramus, sed pro eo, quod necdum accepimus. CAPVT I.

PRimùm enim in Tractatu de oratione, multas causas enumerãs cur meritò Deum orare debeamus, diligentissimè cauet ne potissimam adducat: nempe vt à Deo impetremus veniã & bona opera. Quinimò requirit ad rectè orãdũ, vt antè statuamus & persuadeamus nobis, Deum nobis esse propitiũ (verbis eius vtor) vt vota nostra exaudiat. *Non enim nostras exigit preces*, (addit ipse) *vt eis ad largiendum moueatur, sed vt fiduciam, spem, atque amorem nostrum erga se, tanquam optimum & benignißimum patrem alat, & excolat, dum orantibus ea dat, quæ daturus erat aliâs, discamúsq; nos apud eũ omnia posse, aures eius ad preces nostrás non esse clausas, sed patentes atque apertas.* Sanè ex fide, non christiana, sed lutherana, sequitur Deum non largiri propter orationẽ veniã, eò quòd eiusmodi fides (quæ ordine & tẽpore omnes preces pręcedit) certum facit hominem de remissione peccatorum iam accepta. Vnde Brentius, Lutheranę fi-

 dei non

In cõfes. VVirtẽbergensi, ca. de oratione. dei non mediocris assertor: *Non* (inquit) *absurdè quidem dicitur oratione deleri peccata: non autem hoc sensu, quòd ipsum opus orationis sit merito suo satisfactio pro peccatis coram Deo, sed quòd oratione excitetur & accendatur fides, qua fide participamus meritum Christi, & habemus remißionem peccatorũ propter solum Christũ. Priusquam enim Deum oratione inuocemus, necessarium erit, vt meritum Christi sit nobis applicatũ, & fide acceptum.* Item in confutatione Apolog. VVirtemb. *Qui ex fide orat, & Deum pro condonatione peccati inuocat, non assequitur iam primùm, meritò suæ orationis, remißionẽ peccati, Sed quod iam per fidem accepit & coram Deo habet, petit oratione in se manifestius reuelari & cõfirmari.* Similis est Monhemij sententia: Deum videlicet nõ moueri precibus nostris ad largiendum. &, orãtibus se dare, quæ aliâs erat daturus. Sed ô portentosam doctrinã, quę euertis dominicam orationem: docens nos non debere dicere, dimitte nobis debita nostra. Quis enim planè fatuum non dicat illum, qui orat vt accipiat, quod iam se accepisse nõ dubitat? Deridetur Deus, cũ ei corde dicitur, certus sum quòd accepi veniã: et ore, Da mihi veniam. Simulatoris animi est, petere, quod se scit iã habere. Apostolus dicit: Quomodo inuocabunt in quẽ non crediderũt? Iuxta Monhemium autem dicendũ erit: Quomodo inuocabũt in quem crediderunt? siue: Quomodo à Deo petent veniam, qui iam certi sunt ab eo se illam cõsecutos? Aperire errorem, refutasse est. Quicquid namq; nugetur Brẽtius, certè ea petitione: Dimitte nobis debita nostra: æquè petitur res non habita, sed habenda, sicut in illa: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, & quatuor prioribus petitionibus.

Rom. 10.

Ex scripturis reijcitur Monhemij sententia: *Deus dat orationibus, quæ aliâs esset daturus.* CAP. II.

Dat

DAt (inquit Monhemius) *Deus orantibus se, quae daturus erat aliâs.* Vt igitur accipiã, ô Monhemi, nõ necesse est orare. At aliter August. catholicus doctor. Constat (inquit) Deũ alia dãda etiã non orantibus, sicut initium fidei, alia nõ nisi orantibus præparasse, sicut vsq; in finem perseuerãtiam. Aliter & Iacobus Apostolus: Nõ habetis propterea quòd nõ postulatis. Aliter itẽ Dominus, ad Moysen dicens: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos. Vnde Psalmista canit: Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in cõfractione in cõspectu eius, vt auerteret iram eius ne disperderet eos. Hinc & dominus amicis Iob: Ite (inquit) ad seruum meum Iob. Faciẽ eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Ezechias rex, cũ audisset se moriturũ ex morbo quo laborabat, oratione & lachrymis impetrauit quindecim annos vitæ. Hieremias commemorat se stetisse in conspectu domini, vt loqueretur pro Iudæis bonũ, & auerteret indignationẽ Dei ab eis. Sicut Dominus Ezechielis 22. dicit se quæsiuisse virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra Deũ pro terra, ne dissiparet eam. Certè hęc significãt Deũ multa largiri orãtibus, quę aliâs largiturus nõ esset. Et fortè hæc, quæ tot scripturæ significant, ad temporalia referas, aliam dicens de æternis esse rationem, vt quæ sic det Deus orãtibus, vt etiam aliàs eadẽ esset largiturus. Quasi verò nõ multo magis fideles sint soliciti, tũ pro se, tũ pro alijs petere à Domino spiritualia & æterna, quàm corporalia & caduca. Pręcipiente Domino vt quęreremus primùm regnum Dei & iustitiam eius: &, diceremus: Fiat voluntas tua. Dimitte nobis debita nostra: Ne nos inducas in tẽtationem. Idq; non solùm pro nobis & fratribus, verũ etiã pro inimicis nostris. Quando (inquit Augustinus) nõ oratum est in ecclesia pro infidelibus atq; inimicis eius vt cre-

Lib.2.de bono perseue.c.16
Iaco.4.
Exod. 32.
Psal.105.
Iob. 42.b
Esa. 38.
Cap. 18.
Matth. 6.
Lib.3.de bono perseue. c.23.

crederent? Quando fidelis quisquam amicũ, proximum, coniugem habuit infidelem, & non ei petiuit à Domino mẽtem obediẽtem in christianam fidem? Certè si persuasum sit Deum largiri hæc spiritualia orantibus, ita tamen vt & aliâs eadem esset largiturus, omne studium orandi infringitur, atq; omnino frigescit. Audi igitur rursus Augustinum hæretice, eiq; crede: Si sanctus Stephanus sic non orasset, ecclesia Paulum non haberet. Item Ambrosium: Precationis Stephani effectum in Apostolo Paulo videmus. Quid opus multis? Christus quoque dicit de venia peccatorum: Petite & accipietis. nimirũ post & propter petitionem. Rursum: Omnis, inquit, qui inuocauerit nomen domini saluus erit. Si largitur orantibus quæ aliâs esset largiturus: adĳcere oportebit verbis Domini: Etiam si quis nõ inuocauerit nomen Domini, saluus erit: etiam si nõ petierit, accipiet. Si ad largiendũ petita nõ mouetur precibus, delendum erit illud: In hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es, &: Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, &: Domine non confundar quoniam inuocaui te, &: Hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem: multáque similia. Quæ vniuersa absurda ex eo deducuntur, quòd Monhemius & alĳ eiusdem farinæ, putant, fide omnia haberi à Deo: tantúmque orationem adhibendam vt excitetur fides, cùm potiùs fides iustificet, & impetret à Deo veniam Spiritúmque sanctum per orationem, non autem oratio per fidem.

Serm. 1. et 4. de S. Stephano.
Libr. 1. de pœnitent. cap. 9.
Matth. 5.
Ioelis 2.
Gen. 19.
Matth. 18.
Psal. 30.
Philip. 1.

Orationem propinquiorem esse causam salutis fide.

CAPVT III.

QVod satis euidenter Apostolus, epistola ad Romanos explicuit. Dum enim doceret corde credi ad iustitiam, oreq; confessionem

ſionem fieri ad ſalutem, & hoc Eſaiæ confirmaſſet teſtimonio, probationem adiunxit: Quia Deus diues eſt in omnes qui inuocant illum. iuxta Ioelis vaticinium: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Credens ergo in Chriſtum ideo non confundetur, quia credendo, diuitem Deum inuocat. ac proinde cauſa ſalutis proximior eſt inuocatio quàm fides. Et ſanè hoc ipſum aſtruit, quòd Apoſtolus explicans quomodo Spiritus adiuuet infirmitatem noſtram, dicat eum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, faciens ſcilicet nos clamare, Abba, pater. Nec etiam alia ratione illa ſuperna Hieruſalem, mater eſt omnium filiorum promiſsionis, quàm quòd dono ſancti ſpiritus gemitibus poſtulet inenarrabilibus pro omnibus filijs ſuis. Nam miniſteriũ verbi ac ſacramentorũ, etiam per Agar & terrenum Hyſmaelem miniſtrat. preces autem Deo placentes & gratas, ipſa ſola veluti maternos enixus habet. Deniq;, Chriſtus non per fidẽ, ſed per preces impetrauit nobis fidem, vnitatem & cõcordiã inter nos & cum Deo patre, ſicut Ioan. 17. legitur. Per orationẽ impetrauit nobis mortuis vt Lazaro vitam, vt crucifixoribus ſuis veniam. Nunc quoq; iugiter interpellat pro nobis, & implet Dominus omnes petitiones eius. Eccleſia igitur agni ſponſa, per orationes ſimilis eſt ſponſo ſuo magis quàm per fidẽ. Vnde & orationes ſanctorum, in reuelatione beati Ioannis, aureo thuribulo oblatas Deo legimus: Quemadmodum confeſsionem fidei noſtræ, pontificem noſtrum Deo offerre teſtatur Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos. Nam fidei confeſsio vel in primis comprehendit orationem, gratiarúmque actionem. Preces & gratiarum actio, ea ſunt quibus maximè filij noui teſtamenti Deum accedunt, iuxta Dauidis & Eſaiæ prædictionem; Confitemini domino, & inuocate nomen eius.

Rom. 10.
Cap. 2.
Rom. 8.
Heb. 7.
Pſal. 19.
Apoc. 5.
Cap. 13.
Pſal. 104.
Eſa. 12.

Non debere quemlibet certum esse, quòd exaudietur sua oratio. CAPVT IIII.

COnnectit Monhemius ex eadẽ sua fide, aliud absurdum. *Postulatur* (inquit) *atq; adeò flagitatur, vt certa impetrandi fiducia ad orandum accingamur, Absque omni dubitatione sit persuasum, nobis propitiũ esse Deũ, vt vota nostra exaudiat. Inanis est enim precatio omnis sine fide. Irritatur certè Dominus, si petamus ab eo gratiam quam nõ certò expectemus.* Dicit propheta
Iob 9. Iob: Cum inuocantem me exaudierit, non credo quòd audierit vocẽ meam. Hic est exauditus à Domino, & tamen non fuit certus se exauditum esse: multo minus ergo antea, se exaudiendum. Cui tamen Dominus non fuit iratus, sed verè exaudiuit eũ. Dauid propheta orabat pro vita pueri ex adul-
2. Reg. 12. terio nati, dicens: Quis scit si fortè donet eum mihi Deus? Nõ certò statuebat, sed sperabat se exaudien-
Ionæ 3. dum: quia nihil ei de contrario constabat. Sic Niniuitæ orabant, dicente rege: Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus? Perinde ac si dicat, Cùm nemo certus sit, cùm nemo sciat quòd non conuertetur, quòd non ignoscet Dominus, speremus potiorem partem, quòd ignoscet & conuertetur. Simili ratio-
In Psal. 50. ne Ioel homines hortatur ad pœnitentiam. Ad incertum (inquit Augustinus) Niniuitæ pœnitentiam egerunt. Dixerunt enim, quanuis post minas prophetæ, quanuis post illam vocem: Triduo, & Niniuè euertetur, dixerunt apud se, petendam esse misericordiam, dixerunt ita apud se disceptantes: Quis nouit si Deus flectat in melius sententiam suam, & miseretur? Incertum erat, cùm dicitur: Quis nouit? De incerto pœnitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt. Prostrauerunt se in lachrymis, in ieiunijs, in cilicio, & in cinere, Prostrauerunt se, gemuerunt, fleuerunt: Pepercit Deus.

Deus. Alius ſpiritus erat in his prophetis quàm in Monhemio. Audi & Apoſtolicum ſpiritum: Si quis viderit fratrem ſuũ peccare peccatũ non ad mortẽ (hoc eſt: quod non duret vſque ad corporis mortẽ) petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem, (hoc eſt: modò ille talis ſit, qui non ſit peccaturus vſq; ad mortem). Quidam enim perſeuerant in peccato vſque ad mortem. Pro illis prohibet Ioannes orare: Vt ſcilicet Chriſtum imitemur, qui pro mundo orare nolebat, ſed tãtùm pro his qui ei dati erãt, qui credebant vel credituri erant. Quę ſententia Ioannis expreſsiùs in Matthęo reperitur. Intrãtes (inquit Dominus Apoſtolis) domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam. Si autem nõ fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos. Et apud Lucam. In quamcunque domum intraueritis, primũ dicite: Pax huic domui. Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra. ſin autem, ad vos reuertetur. Vbi docet Dominus, omnibus quidem prædicandam precandamq; eſſe pacem: at non omnibus profuturam orationẽ pro quibus deprecamur, ſed ijs tantùm qui filij ſunt pacis & Dei electione pace digni: Attamen fructum noſtræ orationis ad nos reuerſurum, non minus quàm ſi pacem illis impetraſſemus. Vbi igitur eſt Monhemij dictũ: *Abſq; omni dubitatione ſit perſuaſum, nobis propitium eſſe Deum, vt vota noſtra exaudiat?* Inſuper, iubet Chriſtus oremus pro calumniantibus & perſequẽtibus nos. & Apoſtolus, pro omnibus hominibus: quod præceptum ſedulò Chriſti ecclesia obſeruat, & tamen non pro omnibus indubiè exauditur. Deniq; Chriſtus Petro & Apoſtolis mãdabat vt pro ſeipſis orarent, ne intrarent in tentationem: non autem vt firmiter ſtatuerent ſe non ſuperandos à tentatione. quandoquidem ſciebat, imò eis prædixerat, eos ea-

1.Ioan.5. Ioan.17. Matt.10. Luc.10. Matth.5. 1.Tim.2. Matth.26

dem nocte ſcandalizādos. Orant omnes ſancti quotidie vt non inducantur in tētationē. Orant vt perueniant ad vitam æternam: multi tamen ex bene orantibus nec exaudiūtur, nec obtinēt quod petūt. Stultè igitur certò ſtatuat orans ſe exaudiendum, cum orantes multos conſtet non exaudiri. & contra apertam veritatem eſt, quod dicit Monhemius, orantes certos eſſe debere, quòd à Deo exaudientur. Noſtrum eſt ſeruare præcepta Domini, & orationes noſtras illi committere, vt prout ei placuerit, eas ſuſcipiat. Veriſsimè quidem dicis Monhemi: *Inanis eſt precatio ſine fide*: Cæterùm, inanis non erat Apoſtolorum pro ijs quos ſalutabāt, dicentes: Pax huic domui, vel, vbi nullus erat filius pacis. Reuertebatur enim (teſte domino) ad eos. Igitur, etſi ſine illa certa perſuaſione pacis obtinendæ illis pro quibus orabāt, eſſet, non tamē ſine fide erat. ac proinde ſatis liquet, certam illam perſuaſionem obtinendi quod petitur, non eſſe veram fidem.

Vide cap. 4. lib. 1. de voca. gentium.

Quos promiſerit Dominus exaudire. CAP. V.

NVnc videamus, quibus ſcripturis, eiuſmodi vanā ſuam certitudinē firmet Monhemius. *Poſtulet in fide (inquit Apoſtolus) nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris qui à vento agitatur atq; excitatur. Non enim putet is homo ſe quicquā à Domino impetraturū. Et Chriſtus inquit. Omnia quæcunq; orantes petitis credite vos accepturos, & euenient vobis.* Fides ex qua iuſtificamur inuocantes Deum, eſt fides in fidem, teſte Apoſtolo, hoc eſt, in fidelitatem Dei: qua nimirū credimus in promiſsis ſuis Deum eſſe veracem. Qualis erat fides Abrahæ, qui in promiſsione Dei non hæſitauit diffidentia, nec cōſiderauit corpus ſuū emortuū, nec emortuam vuluam Saræ, pleniſsimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere. Conſideremus itaque

Iac. 1.

Rom. 4.

quos promiserit Deus exaudire,& tum videbimus non aliam quàm huius promissionis fidem, exigi ab orante. In primis ergo manifestum est quòd in hac promissione: Si quid petieritis patrem in nomine meo,dabit vobis,& similibus,ea beneficia inuocantibus promittuntur, quæ ad eos peculiariter qui petunt pertinent. vt rectè Augustinus exponit 102.tractatu in Ioannem. Deinde quòd nec omnibus pro se petẽtibus, Deus det postulata quàm primùm petierint. Vnde Augustinus: Admonemur (inquit)à Deo petere sapientiam. (qua scilicet quid ipse fieri velit,intelligamus)qui dat omnibus affluenter: Vtique his omnibus qui sic petunt,& tantum petunt, quantùm res tanta petenda est. Non enim est promissa exauditio ijs qui in sceleribus suis permanet:teste Psalmista: Iniquitatem si aspexi in corde meo(inquit) non exaudiet Dominus. Et Salomon: Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.Et Esaias:Cùm,inquit, multiplicaueritis orationem,nõ exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Rursus nec ille à Domino exauditur, qui proximo in se peccanti ignoscere non vult.Quamobrem mandatum dat Dominus:Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem: vt & pater vester qui in cœlis est,dimittat vobis peccata vestra. Quod si nõ dimiseritis, nec pater vester q in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.Itẽ, vt certò semper exaudiat dñs inuocãtes se, reqritur perseuerãtia in oratione. Sicut docetur parabola perseuerantis pulsare ostiũ amici in lecto quiescẽtis, & parabola viduæ iniquũ iudicem molestantis, exemploq; ipsius Chananeæ, & Christi:qui sæpe in oratione pernoctauit, atque vnam eandem orationem frequenter iterauit. Deinde etiam humilitas magna in orante esse debet: Quemadmodum & ipse Christus, procidẽs in faciẽ ante pa-

Ioan.16.
Lib.de natura & gra.ca.17.
Psal.64.
Prou.28.
Cap.1.
Marci 11.
Luc.18.

ante patrem, & publicanus, non audens oculos ad coelum leuare, ostendunt: imò sicut ipse Christus

Ibidem.

dicit: Qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiam. Porrò ex his nonnulla, & præter hæc quoque alia rectè exigit Monhemius: Vt (exempli gratia) animum liberum à curis extraneis. Verùm hæc omnia, aliquid velut fundamẽtum debet præcedere, vt homo per orationem suam impetret sibi aliquid à Domino. Quidnam quæso illud? Vt, si hæc omnia habuerit, nempe si verè dereliquerit impius viam suam, & ignouerit proximo in se peccanti, si humiliauerit se multùm, & perseueranter orauerit, & alia in scripturis requisita nõ neglexerit, firmiter credat se impetraturũ quod petit. Ab hac enim fide contingit quosdam deficere, cogitando, vel turpitudinem & magnitudinem peccatorum suorum, Deiq́ iustitiam & seueritatem: ac ideo hæsitando, ne etiam omnibus illis adhibitis, ob sua scelera nihilominus damnentur, vel magnitudinem & excellentiam gloriæ quam Deus parauit hominibus miseris, Ideoq́ similiter hæsitando ne fortè vana sint promissa illa magnifica, néve hæ Dei promissiones similes sint dictis hominum, sæpenumerò fallaciũ, aut non potentium, aut nolentium præstare quæ promiserint. Qui enim sic in fide hæsitat, orare quidem voce potest, sed nihil oratione impetrare. Cogitat enim: Valeat oratio quãtùm valere potest. Fortè ipse audiet, fortè non audiet. Qualis est illorum oratio qui tentant Deum: propterea scilicet orantes, vt explorent num præstare possit aut velit petita. Contra quos ait Sapiẽs: Ante orationẽ

Eccli 18.

præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Contra quam infidelitatẽ Dominus varijs parabolis, tũ viduæ ab iniquo iudice importunis molestijsq́ suis precibus tandem impetrantis

vindictam

vindictã:tum amici intempestiuè noctu hominem Lucæ 11.
è cubili,longa molestiaq́ prece educentis: Denique Ibidem.
patris hominis mali,filio suo bona data largientis, nos munit. vt sciremus nos multo magis à patre nostro cœlesti, qui summè bonus est, qui dormire non nouit aut dormitare, qui iustissimus est iudex, cui orando nec molesti nec importuni esse possumus,petita accepturos, si rectè ac perseueranter eũ inuocemus:non tam pro vindicta quàm pro nostra nostrorumq́ inimicorum salute.

Quis sensus illius: Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis. CAPVT VI.

QVæ cùm ita se habeant, clarũ est quid Dñs in euangelio dixerit:nẽpe,in oratione reqri fidem, qua credamus Deum exauditurum debitè inuocantes, & reuera euenturum illis quod petunt:nobísque donandum quicquid ab eo petimus eo modo,quo ipse præscripsit. Ad hunc intellectum inuitant nos dominica verba:Habete fidem Dei.quia quicunque dixerit huic monti: Tollere & Marci 11.
mittere in mare,& nõ hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Nunquid enim putabimus Dominum hîc sensisse, omnes fideles,si statuãt firmiter in corde suo quòd montes transferent, montes esse translaturos? nequaquam. Ipse Apostolus 1. ad Corinth. 12. docet diuisiones gratiarum esse in Ecclesiæ membris:nec vnum membrum debere alterius occupare officiũ, seu gratiam. Nunquid(ait)omnes, virtutes? Nunqd omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Sentit itaq; Dominus, eum qui gratia virtutum à Deo donatus fuerit, vbi in rẽ religionis fuerit vel montis translatio,debere indubitanter sua vti gratia,nec deterreri rei iuxta naturam impossibilitate: sed sibi firmiter persuadere ita futurũ:

futurũ:quãtum est ex Dei parte, si id debitò modo à Deo petat. Vnde Apostolis hoc dicit (sicut clariùs Matthæus, cap. 21. explicat) quibus potestatẽ dederat curandi omnem infirmitatem, eijciendi Dæmonia, mortuos suscitandi: sub quibus intelligẽda venit & potestas transferendi corpora, quæ iuxta naturam transferri nequeunt (quæ nomine montium intelliguntur). Qua potestate Philippus diaconus, ardore euangeliũ propagandi accensus, dum probè diuinæ legis studiosum Eunuchũ Candaces instruxisset, se subitò transtulit, aut potius transferri iussit ad Azotios, vt eis viciniśq; ciuitatibus euangelizaret. Vnde Lucas dicit Spiritũ Dñi eum rapuisse. quia dono Spiritus sic trãslatus fuit, sicut & Heliam rapi metuebat Abdias. Porrò quòd eiusmodi conditio debeat in verbis Dñi iam ex Marco citatis intelligi, satis ex simili loco colligere licet. Matthæi 17. dicuntur Apostoli nõ valuisse Dæmoniũ eijcere duabus de causis. tum quia quum haberent à Dño gratiam eijciendi Dęmones, nõ tamen satis fixè crederent Deum sibi, etiã debito modo inuocantibus affuturũ, parum expendentes eius omnipotentiam, bonitatẽ & promissa: tum etiã quòd modo decenti, oratione videlicet atq; ieiunio sese nõ parassent ad eiusce Dæmonis eiectionẽ. Quare (aiunt) nos non potuimus eijcere illũ? Respondet Christus: Propter incredulitatẽ vestram. Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem sicut granũ sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Quando itaq; dicit Deũ affore illi qui statuit futurũ quicquid dixerit, intelligit, modò orationem & ieiunium (exempli gratia) adijciat, in eijciendo hoc genere dæmonum. Tali incredulitate Moyses & Aaron fortè peccârunt ad aquas cõtradictionis, dum turbati populi malicia & infidelitate nõ satis accuratè expendentes diuinã omnipotẽtiã & pro-

Matth. 10

Act. 8.

Matt. 17.

Aug. questio. 19. super Num.

& promiſſum, nõ ita firmiter atq; ardenter credide-
runt, vt verbis ſuis ſanctificarẽt Dñm corã populo:
aſſerendo ſcilicet ei quòd Dñs daret certò aquã etiã
rebellibus: Sed veluti dubitans Moyſes ſic locutus
eſt: Audite rebelles, Experiamini an dabimus vobis Num. 20.
de hac petra aquã. Vnde mãſit populus veluti Dñm
tentãs, an daret aquã, donec aqua ex petra profluere-
ret. Porrò licet qui gratiã curationũ & miraculorũ
à Deo habent, ſciant ſeſe eã habere, ſicut qui donũ
linguarũ vel interpretationis ſermonũ, aut ſermo-
nẽ ſapientiæ vel ſcientię, aut gubernandi gratiã ha-
bent, vel diſcretionẽ ſpirituũ & ſomniorũ (quod in
matre ſua Monica fuiſſe teſtatur Auguſtinus): Ni- Lib. con-
hilominus ſicut contingit hos cùm quippiã eis, vel feſ. ca. 13.
per ſomnium, vel per angelum reuelatur, ei nõ cre-
dere (vt in Zacharia oſtẽſum eſt): Ita quoq; contin- Luc. 1.
git habentes gratiã miraculorũ à Deo, nõ credere ꝙ
Deus per eos etiã oĩa præſcripta ſeruãtes, miracula
ſit facturus. Contra hanc infidelitatẽ agit Dñs apud Cap. 11.
Marcũ. Et deinde generali ſentẽtia docet neceſſariũ
eſſe, vt orãtes credãt firmiter Dei promiſsis, de rite
atq; modo prȩſcripto inuocãtibus eũ, exaudiendis.
Et pronũciat ꝙ hanc fidẽ habens oĩa impetrabit, ſi
ſcilicet alia requiſita ei nõ deſint. ſicut alibi dicit: Si
dimiſeritis hoĩbus, dimittet vobis pater veſter cœ-
leſtis peccata veſtra: Vtiq; ſi cætera quæ requirũtur
ad obtentũ veniæ curetis. Exempla ſanctorũ mira-
cula quondã facientiũ, declarãt ſimiliter quomodo
intelligãtur hȩ ſcripturȩ. ſiquidẽ priuſquã miracula
facerent, ſæpe ieiunaſſe & oraſſe legũtur. Cæterùm
quia etiã oramus pro ijs quȩ nõ certò promiſit Dñs
tribuere: (exẽpli gratia) pro aliorũ ſalute: ideo aut
locus ille Marci de ijs non intelligitur, aut intel-
ligendus eſt Chriſtus præcipere, vt certò ſtatuamus
per noſtras præces alios cõuertendos, ſi filij ſint pa- Mat. 10.
cis & electi à Deo, quẽadmodũ Matthȩus & Lucas Luc. 10.
expli-

explicãt. Interĩ nõ debet ſtudiũ poſtulãdi à Deo ea, quę etiã ritè poſcẽtibus certò nõ ꝓmiſit, tepeſcere, quòd fide certi non ſimus nos hæc impetraturos. Nam non ſola fides in oratione exercenda eſt, ſed etiam ſpes, quæ fundata in fide omnipotẽtiæ & miſericordiæ Dei, etiam circa illa verſatur, quæ non conſtat debitè poſcẽtibus certò donanda. Exempli gratia, Qui deſiderium habet derelinquendi ſcelera ſua, ſtatuens tamen adhuc aliquandiu ea exercere, exhortandus eſt prædicatione omnipotẽtiæ & miſericordiæ Dei, non vanæ alicuius promiſsionis, vt oret, quò ſanctum eius deſiderium tantas vires accipiat, quibus non ſolùm quandoq;, ſed iam ſtatim ſcelera ſua derelinquere ſtatuat.

Explicatur locus Iacobi: Poſtulet in fide, nihil etc.
CAPVT VII.

HActenus de euangelij loco. Ex quo facilè intelligas, quid Iacobus velit, dum iubet in fide poſtulare abſq; hæſitatione. Agit enim (Auguſtino teſte) de fide ad quam præcepta compellũt, vt lex imperet & fides impetret: agit contra eos qui de promiſsis chriſtianæ religionis dubitãt, cupiũtq; intelligentes & ſapientes eſſe diuinarum rerum, antequam eas firmiter credant. contra illud, Niſi crediderítis non intelligetis, & contra Apoſtolum, qui primùm lac fidei, deinde ſolidum ſapientiæ cibum tradi voluit. Docet autem Iacobus, dubios in fidei doctrina, ſimiles eſſe fluctui maris, qui à vento agitatur, nec ſtabiliter ad vnum locum ſemper decurrit: quia quolibet vento falſæ doctrinæ mouentur, nec recta fidei via currunt ad brauium ſupernę vocationis, & cùm Deum accedant corde duplici, hoc eſt, nutãte & in vtramuis partem ambiguè ſeſe vertente, ideò in omnibus vijs ſuis, ac proinde & in ipſa oratione inconſtãtes ſunt, nec in ea perſeuerant:

De natura & gratia cap. 16

1.Cor.3.

vio-

violantq; illud Sapientis præceptum: Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Ac proinde existimare nō debent dubij hi homines, quòd aliquid sapientiæ christianæ accipient à Domino. Quid hæc igitur loca scripturæ faciunt ad certitudinem Monhemij? penitus nihil. Meritò enim sæpè timet homo, ne peccatis occultis subiaceat, & non in precibus perseueret. Meritò formidat, ne competens sibi oranti humilitas desit. Conueniat vnusquisq; cor suum (ait Hieronymus) & in omni vita inueniet quàm rarum sit perfectè fidelē animam inueniri: vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominū faciat. Difficile est Deo tantùm iudice esse contentū. Insidiatur superbia bonis operibus. Cæterum, cùm Mōhemius dicat (ex Caluini institut. cap. 15. parag. 5): si vel minimum quid arrogemus nobis, nos à facie Domini repellendos, qua fronte, quæso, audet interim de se statuere quòd non repelletur, nisi vnà simul statuat, se nec minimum quid sibi arrogare? Sed certè si id faceret, non tam audacter ab ecclesiæ Christi doctrina declinaret.

Eccli 18.

Cōtra Luciferianos.

Rursus explicatur promißio de exaudiendis orantibus. *CAP. VIII.*

RElíquæ scripturæ à Monhemio citatę, & desumptę ex cap. 15. parag. 11. Institutionis Caluini: nihil amplius cōuincunt, quàm quę supra ex Marci 11. allata est. Admonet tamen parabola illi scripturæ: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis etc. adiuncta à Domino, perseuerātibus precibus promissam esse exauditionem. Et si, inquit, ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi. Scriptura

Luc. 11.

autem ex cap.29.Hieremiæ adducta, aliquid habet consideratione dignum,quod Monhemius omisit. Post hæc enim verba:Orabitis me, & exaudiā vos, quæretis me & inuenietis,addit Propheta:Cū quęsieritis me in toto corde vestro. Sicut etiā Moyses
Deut.4. ad hanc similem sententiam: Quum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum,subiūgit: Si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ:Vt videlicet sciamus illius promissi:Quęrite & inuenietis etc sensum nō esse,q̃ oēs,quocūq; modo quęsierint,inueniēt:sed demū qui toto corde quæsierint.Qualiter sanè rarus est qui se sciat quærere.Item illa Esaiæ sentētia: Anteq̃ clamēt ad me,
Cap.65. exaudiā eos: nō iuxta Brentij dogma designat Deū iam dedisse id,pro quo postea orandus est: sed Deū exaudire iustorū desideria internasq; preces, etiam priusquā eū labijs inuocēt:& iustos exauditos, etiā
Exod.14. dū se exauditos nō putāt. Quēadmodū Dn̄s Moysi super mare rubrū dicit:Quid clamas ad me?hoc est, Quid oras cū iā obtinueris quod petijsti?Huic Esaię
Esaiæ 58. loco conformis est ille: Frange esurienti panē tuū, & egenos vagosq; induc in domū tuā.Cùm videris nudum,operi eū,& carnē tuā ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumē tuū, & sanitas tua citiùs orietur,& anteibit faciē tuam iustitia tua, & gloria Dn̄i colliget te. Tunc inuocabis, & Dn̄s exaudiet:
Esaiæ 56. clamabis,& dicet,Ecce adsū.Itē ille, Filios aduenæ qui adhærent Dn̄o vt colant eū,& diligant nomen eius, vt sint ei in seruos:omnē custodientē sabbathum ne polluat illud, & tenentem fœdus meū:adducam eum in montem sanctū meū, & lætificabo eos in domo orationis meæ:holocausta eorū,& victimæ eorū placebūt mihi super altari meo. Ita vt ex tribus prophetis,Moyse,Esaia,& Hieremia constet,Dn̄m orationis precium etiā ex personæ dignitate ęstimare:& nō tantùm(vt mentitur Caluinus) propter fidem,sed etiam ob hominū bona opera.Id

quod & illa Psalmistę verba satis indicāt: Aures dñi in preces iustorū: Deprecationē timentiū se exaudiet. & illud Iacobi: Multum valet deprecatio iusti asidua: Apertissimè verò quod ait Dñs: Si manseritis in me, & verba mea in vobis māserit: quodcūq; volueritis, petetis, & fiet vobis. Vbi vt Itelligas qd sit: Manere in Christo, & qd verba eius in aliquibus manere, subiūgit: Si pcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Quæ verò illa sint pcepta, explicat quod cōnectit: Hoc est pceptū meū vt diligatis inuicē sicut dilexi vos. Vnde etiā ipse Ioānes in epist. sua ait: Charissimi, si cor nostrū nō reprę-henderit nos, fiduciā habemus ad Deū: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniā mādata eius custodimus, & ea quę sunt placita corā eo, facimus. Et hoc est mādatū eius, vt credam' in noīe filij eius Iesu Christi: & diligamus alterutrū. Nā q; Caluinus conat' vniuersa hęc scripturę loca eludere, quasi in eis nō diceretur orationē nostrā ab operibus bonis subleuari vt exaudiatur, sed tantū ei annexa esse: & particulā: quia: apud Ioannē, nō causam sed accidēs inseparabile designare, puto sincero lectori magis esse ridiculu, q̄ vt in eo refutando nos velit hìc morari. maximè cū in ipsa prima pte Decalogi misericordiā polliceatur Dñs seruāti pcepta: & exēplū Ezechię regis, petētis orationē Esaię (q̄ cęteris iustior habebatur) siue alligātis inter orādū anteactæ vitę suę merita, satis aliud sonet: Ipseq; Christ', nō soli' fidei, sed & ieiunij rationē haberi voluerit, vbi eijciēdus est Dęmō: & Iosaphat dictū sit, Irā dñi merebaris, sed bona opera inuēta sunt in te: Deniq;, de tribu Iuda scriptū reperiat', ideo nō totā fuisse deletā, qa ī ea sūt iuēta opa bona. Nā dubiū nō est quin ob ea exaudiat' oratio, ob quę certò scitur de' pcere nobis. Quare longè aliter, meliusq; q̄ Caluinus ait Ambrosius: Perfecti precatores in delictis maximis sunt requirendi. Nam si quicunque de populo

Psal. 33. Psal. 143. Iac. 5. Ioan. 15. 1. Ioan. 3. Deut. 5. Esaiæ 38. Matth. 17 2. Para. 19 2. Para. 12 Lib. 10. de pœni. c. 9.

1.Ioan.5. orant,nō exaudiuntur. Vnde Ioannes: Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat,& dabit illi vitā De⁹,qa nō peccat ad mortē. Eſt peccatū ad mortē,nō de illo dico vt oret. Nō enim ad Moyſen & Heliam loquebatur, ſed ad populum qui ſuorum peccatorum alium peccatorem deberet exhibere. Cui ſatis eſt ſi pro leuioribus delictis Deū precetur: grauiorum veniam iuſtorum orationibus reſeruādum putans. Idem alibi: Si grauium (inquit) peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Eccleſiam quæ pro te precetur: cuius contemplatione quod tibi Dominus negare poſsit, ignoſcat. Sed pauca hæc nunc ſufficiant. amplius infrà oſtendemus omnium Sanctorum Patrū dictis contrarium eſſe, ſolam fidem reſpici à Deo in exaudienda oratione.

In 5.cap. Lucæ.

Non omnes, qui ignota ſibi lingua Deum precantur, hypocritas eſſe. CAP. IX.

ADdit deinde Monhemius: *Requiritur vt non oremus eo ſermone quem non intelligamus: nec orē tantùm, ſed animo & corde. Iram enim Dei aduerſus nos prouocamus, cùm ſummis dūtaxat labris precamur. Hoc etenim eſt ſacroſancto eius nomine abuti, eiuſq́ maieſtatem ludibrio habere. Nam ſic per vatem dicit: Populus iſte me ore accedit, & labris ſuis honorat: animus autē eorū procul abeſt à me.* Non dubiū eſt quin orandus ſit De⁹, iuxta Apoſtolū, & ſpiritu, hoc eſt, pia volūtate & mēte, hoc eſt, intelligēdo qd petatur. Si orē (inqt)
1.Cor.14. līgua, ſpūs meus orat: mēs autē mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Attamen, qui verbis quæ pia eſſe nouit, ſed non intelligit, orat Deum, verè orat. Nā, vt dicit Apoſtolus, ſpiritus eius orat.

Quem-

Quemadmodum tempore veteris legis fructuosè offerebant sacrificia, qui duntaxat nouerant ipsa sacrificia esse signa sancta: non intelligentes quid significarent. Fructuosè item in templo veteri affuit populus, cùm sacerdos intraret sancta sanctorum, tametsi foris existens non videret nec intelligeret, quid ibi ille ageret. Nec illi, de quibus scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autē eorū longè est à me, redarguuntur quòd verba quæ non intelligerent, recitarent: sed quòd non amarent quæ intelligebant, corde amoreq́; alijs intenti. Plærique sunt christiani, nec ipsam orationem dominicam, etiam si vernacula lingua eam recitent, omnino intelligentes. Absit tamen vt eos hypocritas, vel hoc modo orantes, Deum offendere dicamus. Si fortè Monhemius, quod ait, eos iram Dei prouocare, qui summis duntaxat labris precantur, non ad eos retulit qui inter orandum sermone sibiipsis ignoto vtūtur, sed ad eos tātùm, qui ore & non corde precantur: non contra eum erit hæc annotatiuncula.

Aug. li. 3. de doctr. christ. c. 8.

Esa. 29.

De inuocatione SANCTORVM.

Eos aduersari communioni Sanctorū, qui Sanctos inuocandos esse negant. CAPVT I.

IN eodem dialogo hebetibus argumentis oppugnat Monhemius fundatissimū catholicæ ecclesiæ ritum, quo sanctos cū Christo in cœlo agentes inuocat, vt pro se orēt. Vnde clarè ostēdit quomodo sanctā ecclesiam scindere, & Sanctorū communionem velut disrumpere nitatur. Quæ enim maior Ecclesiæ diruptio esse potest, quàm eā quæ in ter-

in terris peregrinatur, separare ab ea quę cum sponso suo supernè secura iam viuit (sicut Abraham, Isaac, Iacob & Lazarus): hîc militantem, à regnãte cum Christo: homines fideles, à societate angelorũ sanctorũ: vsq; adeò vt nec miseri fœlicibus sese iam commendare queant? Credamus, iuxta Apostolicũ Symbolũ, Ecclesiam esse sanctorũ communionem. Non dubitemus quin ad eam pertineant angeli sancti, Apostolo dicente: Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem, & multorum milium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorũ perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum. Non ambigamus, eos quoq; esse membra Christi, qui peregrinantur à corpore & præsentes sunt ad Dominum. Et proinde magna cum fiducia ab eis membrorum officium, vt pro nobis orent, poscamus: more omnium sanctorum Patrum qui nos præcesserunt ad Dominũ. Surdisq; auribus ad Caluini (Monhemij magistri) blasphemias prætereamus, vbi ait: Dum mortuos à nostro contubernio subduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiscum, quantum assequi licet coniecturis. Augustinum verò audiamus piè vereq; dicentem: Hoc bonum (Deo videlicet adhærere) quibus commune est, habent & cum illo, cui adhærent, & inter se societatem sanctam, & sunt vna ciuitas Dei, eademq; viuum sacrificium eius, viuumq; templum eius. Cuius pars coniungenda immortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nũc mortaliter peregrinatur in terris: vel in eis, qui morte obierũt, secretis animarũ receptaculis, sedibusq; requiescit. Rursum: Regnauerũt cũ Iesu mille annis (aĩæ scilicet martyrum) nondũ sibi corporibus suis redditis. Neque enim

Heb.12.

Institut. cap.15. paragr.18.

Li.20. de ciuit. Dei cap.9.

Idem lib. 20. cap.9.

enim piorũ animæ mortuorũ separantur ab Ecclesia, quę etiã nũc est regnũ Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorũ memoria in cõmunione corporis Christi: nec aliqd prodesset ad eius in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur hęc vita: nec ad recõciliationẽ, si fortè per pœnitentiam malamve cõscientiã quisquã ab eodẽ corpore separatus est. Cur enĩ fiũt ista, nisi qa fideles etiã defuncti mẽbra eius sunt? Quamuis ergo cũ suis corporibus nondũ sunt, iam tamẽ eorũ animę regnãt cũ illo, dũ isti mille anni decurrũt. Vnde in hoc eodem (scilicet Apocalypsis) libro & alibi legitur: Beati mortui qui in Dño moriũtur, amodo iam etiã dicit spiritus, vt requiescãt à laboribus suis: nã opera eorũ sequũtur illos. Regnat itaq; cũ Christo nũc primùm Ecclesia in viuis & mortuis. Propterea enĩ, sicut dicit Apostolus, mortuus est Christus, vt & viuorũ & mortuorũ dominetur. Sed ideo tãtũmodò martyrũ animas cõmemorauit, quia ipsi præcipuè regnãt mortui, qui vsq; ad mortẽ pro veritate certauerũt. Sed à parte totũ, etiã cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiã, quod est regnum Christi. Hæc August. Ipsa quoq; beneficia, quæ viuis præstant gloriosi martyres, attendamus. Equidẽ satis cõuincunt esse falsum (quod affirmat Caluinus), nullum eis nobiscum esse commercium. Scriptura denique aliud docet, dicens: Qui vicerit, faciã illum columnam in templo Dei mei: & foras nõ egredietur ampliùs. (Tantùm quippe de ijs hoc dicit, qui vsq; in finem vitæ perseuerauerint: sicut antea præmittit: Tene quod habes, ne alius accipiat coronã tuam.) Quomodo enim Sancti post hanc vitam columnæ sunt in tẽplo Dei, nisi qa pcibus suis ac meritis posteros fideles sustẽtant? Sicut à Dño eis promissum est in Decalogo. Faciã, inqt, misericordiã in multa milia his q diligũt me, & custodiũt præcepta mea.

Apoca. 14

Rom. 14

Apoca. 3.

Deute. 5.

Inuocationem Sanctorum non aduersari cultui Dei: & friuola esse Monhemij argumenta, quæ contrarium nituntur asserere. *CAP. II.*

SEd ad Monhemium accedamus. Quærit pater: *Num beati qui vitam agunt in cælo, sunt inuocandi?* Respondet filius. *Inuocatio nō potest sine fide fieri. Fides autem non aliò tendit quàm in patrē cælestem per Christum Iesum Saluatorem nostrum, & vnicum mediatorem. Apostolus enim dicit, Quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo inuocabunt eum in quem nō credunt?* Respondemus totidem verbis dici posse: Inuocatio non potest sine fide fieri. Fides non aliò tendit q̃ in Deum per Christum, Igitur nec viui homines sunt inuocādi vt pro nobis orēt. Cui tamen sententiæ apertè scriptura sacra repugnat, dū Apostolus eos ad quos scribit, obnixè rogat vt pro se orent: etsi splendidè mentiri non vereatur Artopæus, dicens Apostolum tantùm Deum per Christum inuocasse. Sicut igitur in his viuis hominibus friuola est Monhemij ratiocinatio, ita & in sanctis iā cū Christo in cœlo regnantibus. Fides non tendit necessariò in eum cuius homo orationē implorat. Homo enim in seipso nō ponit fidem suam, dū ipse orat. Ac ex consequēti nec in alio, cuius preces suis cupit adiungi. Illud verò apostolicum, Quomodo inuocabunt eū in quem non credūt? nequaq̃ significat eū solū inuocandū in quē fide christiana creditur. Ex eo enim quod præcedit, Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: repetendum est *Domini*: vt sit sensus, Quomodo inuocabunt eū Dominū, cui nō crediderūt? Sicut in sequētibus: Q̃uo credēt ei quē non audierunt? Q̃uo verò audient sine prędicāte? Q̃uo verò prędicabūt nisi mittātur? Non enim significatur, q̇ nemo credat proximo, vel audiat proximum absq; prædicatione legatorū Dei, sed quòd

Rom.15.
Heb.13.
Rom.10.

ſed quòd nemo credat in aliquem velut in Dominum ſuum & ſaluatorem, nec audiat eum legitimè annũciari, niſi per prędicationem miſſorum à Deo. Sentit itaq; Apoſtolus nõ poſſe eum vt Dominum & Saluatorem inuocari: in quem prius non creditur. Secunda ratio Monhemij hæc eſt: *Deinde pater noſter cæleſtis quia nos diligit, vult & exigit, vt ſe in noſtris neceſſitatibus inuocemus, nec ferre poteſt vt ſe neglecto alios imploremus, cùm nemo ſit qui meliùs nobis velit, & ſalutem noſtram propenſius curet.* Vera ſunt hæc Monhemi. Et ideo quiſquis ſanctus inuocetur Deo neglecto, prorſus eſt deteſtabilis inuocatio. Cæterũ qui ſanctũ orat, vt pro ſe apud Deũ intercedat, Deum non negligit. Quinimò, eo ipſo, quo id fieri exoptat, Deum orat: tãtumq; abeſt vt Deum negligat, vt etiam ſecum alium Dei precatorem imploret. Sicut enim is Deum non negligit, qui ſolito feruentius orare vult. Imò verò quo feruentius orat, eò magis diuinam gratiam ambit: Ita etiam Deum non negligit, qui cum ſua oratione & alienam Deo offerri vult. quin potius feruẽtius & maiori cũ reuerentia eum inuocat. Narrat Lucas Centurionem Capharnaitam miſiſſe ad Chriſtum amicos, & ſeipſum non æſtimaſſe dignum qui ad Chriſtum ipſe accederet. An ergo putabimus eum Chriſtũ neglexiſſe? Minimè. Chriſtus hanc erga ſe reuerentiã, hãc humilitatem, qua Centurio ſeſe Chriſti conſpectu iudicabat indignũ, qua alios mittebat ad Chriſtum (Chriſto, vt arbitrabatur, gratiores) tãti fecit, vt diceret: Nec in Iſrael tãtam fidem inueni. Vnde Matthæus audacter dixit, Centurionem acceſsiſſe ad Chriſtum. quia ſcilicet (interprete Auguſtino) fideliſsima humilitate ipſe magis acceſsit quã illi quos miſit. Hinc illud propheticum: Excelſus Dominus & humilia reſpicit, Vtiq; tanquam accedentia. Non igitur Deum negligere dicendus eſt qui à ſanctis

Luc. 7.

Matth. 8. De ſancta virginit. cap. 32. Pſal. 112.

petit vt pro se orent Dominum. An Deum negli-
1.Reg.7. gebant Israelitę, quando dicebāt Samueli: Ne cesses
Iob 42. pro seruis tuis clamare ad Dominum? An Deum
negligebant amici Iob, dum Iob orabant vt pro se
oraret Dominum? Imò verò hoc agentes, Dei exe-
quebantur praeceptum. Pulcherrimè venerabilis
Beda, quod de Centurione Capharnaita Lucas ha-
bet, mysticè tractans: Et nos (inquit) qui de genti-
bus credimus, nō ipsi ad dominū venire possumus
quem nunc in carne videre nequaquam valemus,
Sed quicūq; passiones nostræ seruitutis agnouim⁹,
ad residentem in dextera patris iam per fidem acce-
dere debemus, iam seniores Iudæorū mittere, hoc
est, summos ecclesię viros, qui nos ad Dominū prę-
cesserunt, suppliciter obsecrando patronos acqui-
rere: Qui nobis testimonium reddentes quòd dili-
gamus ecclesiam, & quantum in nobis est ædificare
curemus, pro nobis apud Dominum nostrorúmq;
peccatis intercedant. Tertia ratio Monhemij.
Præterea nos si illum dilexerimus, non poterimus præter ipsum inuocare quenquam, vel angelorum vel hominum. Cum quo enim potiùs de rebus nostris adflictis conquere-mur quàm cum patre nostro quem vnicè diligimus? Quid
est quod ais Monhemi? Si cum nullo liceat con-
queri de rebus afflictis nisi cum patre nostro, certè
communicationem sanctorū, qua sese mutuò con-
solantur, suásque miserias sibi mutuò exponunt,
planè tollimus. Si dilectio Dei requirit, vt à nullo
præterquam à Deo auxilium petamus, vbi est of-
ficium membrorum sibi mutuò succurrentium?
Rom.15. Vbi est oratio Apostoli Romanos obsecrantis &
Hebr.13. alios christianos, vt pro se orarent? Quarta Mon-
hemij ratio. *Ad hæc potissima pars cultus Dei est inuo-catio, igitur soli Deo debetur, Iuxta illud dictum Christi:*
Matth.4 *Dominum Deum tuum adorabis & illum solum coles.*
In hoc scripturæ loco non dicitur: Solum Deum
inuo-

inuocabis. Nec honorem soli Deo debitum ad homines transtulit Apostolus Romanos orans. Cæterùm, si nomen, Inuocatio, putes Monhemi in solum Deum competere, de voce non contendimus. Tantùm cupimus non neges, sanctos cum Christo agentes orandos. Tametsi etiam ipse Cicero dixerit: Sociorum subsidium inuoco, Et in scriptura nostra (iuxta 70. interpretes & Hieronymum) dicatur nomen patriarcharum inuocatum super posteros eorum, & nomen mariti super vxorẽ. Hinc Augustinus, tractans illa verba Iacob: Et inuocabitur in eis nomen meum & nomen patrum meorum: Vnde (inquit) notandum est, non solùm exauditionem, sed etiam inuocationem dici aliquando quæ non Dei, sed hominum sunt. Vnde certè constare potest, non solùm Deum inuocari posse iuxta scripturas. Nobis interim (qui de verbis non agimus) suffecerit, bene & creaturas à nobis orari. Illud verò: Soli Deo seruies: quod Monhemius vertit, Solum Deum coles: de ea seruitute & cultu, qui soli Deo debetur, intelligitur. Quanuis enim nomen, seruitus, & ei seruituti qua hominibus seruitur, & ei qua Deo famulamur, conueniat, ratione tamen plurimum differunt vna ab altera: sicut & cultus honórque parentum, à cultu & honore Dei, tametsi nomine vno ac eodem nuncupentur, diuersissimi sunt. Vsu autem sanctorum doctorum, gratiáque distinctionis, Latria seruitutem soli Deo debitam designat. quanquam non negârim, quin interdum æquè sit generalis, vt latina vox, seruitus. Hinc clarum est, cùm scriptura dicit, Soli Deo seruies, non de quauis seruitute mentionem fieri (cùm & à Spiritu sancto, in scriptura nobis iubeatur, vt dominis atq; parẽtibus nostris seruiamus) sed de peculiari aliqua, quã nefas sit alicui alij deferre; Vt nõ magis hîc tollatur cultus sanctorum

Rom. 15.

Esaiæ 4.

Lib. 1. locutionum de Genesi circa cap. 48. Gen.

rum

rum cum Christo viuentium, quàm parentum cultus & seruitus dominorum.

Sanctos non inuocari velut Christi patrocinium non sufficiat, sed vt patrocinio Christi debitè innitamur.

CAPVT III.

OBijcit pater: *Sed quid faciendum, cum nemo hominũ dignus sit qui se Deo repræsentet, ac in eius conspectum sine patrono & aduocato prodeat, ipsumq́; corâm appellet?* Respondet filius: *Ipse cœlestis pater, vt ab hac perturbatione nos liberaret, quæ alioquin animos nostros solicitaret, filium suum Iesum Christum nobis impertiuit, qui apud ipsum nobis sit aduocatus et mediator, vt tali patrono nixi, ad ipsius thronũ tutò accedere liceat.* Nec nos dubitamus quin per Christum, patronum, aduocatũ, & mediatorẽ, accessum habeamus ad patrem. Per eum enim spiritum precum, iuxta Zachariam, accipimus: Per eũ nostra incredulitas adiuuatur: & nostræ preces, tum ob tepiditatem, tum ob orationis indignitatem dignæ repelli, ad Deum adducuntur, atq; exaudiuntur. Deniq; per eum, quod petimus, obtinemus. Non nisi per Christi gratiam orationem habemus. Non nisi per eum debitè oramus. Per eum solum, quod in oratione per distractionem & frigiditatem peccati committitur, ignoscitur. Per eum vnum, quod oratione petitur, oranti donatur. Per mediatorem Christum datur oratio: per aduocatum Christum ipsa patri commendatur, eiúsque interpellatione imperfectio eius aboletur. Sed sicuti nos oramus pro nobis, vt quod petimus, obtineamus per Christum, & vt per eum nostra tepida oratio, ex se indigna exaudiri, exaudiatur (sicut Cyprianus lib. 4. epistol. 4. ait: Primò, inquiens, ipsum Dominum orare, tum per ipsum Deo patri satisfacere debemus) nullo tamen pacto volentes nobis ven-

Cap. 12.

his vendicare officium Christi aduocati vel mediatoris, sed duntaxat eius officij fieri participes: Ita cū more Apostoli, pro Corinthijs, vt nihil mali facerent, orantis, pro fratribus nostris oramus, nō prætendimus vt Christi aduocati mediatorisve officiū, nobis vel ex parte vendicemus, sed cupimus eos pro quibus precamur, huius officij Christi fieri participes. Ergo similiter, dum aliorū, vel angelorum, vel sanctorum hominum, siue in cœlis, siue in terris agentium, preces pro nobis Deo fundi postulamus, hoc tantùm ideò petimus, vt ipsi agant pro nobis quod nosipsi pro nobis rectè agimus: nempe vt rogent Christum, quò nostras preces, imperfectas & frigidas, sua eis adiuncta interpellatione à tepore liberet, Deoq; acceptas reddat, & quod petimus impetret. Quemadmodū (exempli causa) paralyticus, qui à quatuor hominibus gestabatur, credebat in Christum, sed fortasse frigidiùs quàm vt Christus eam eius fidem fuisset respecturus. Accessit autem & portantium fides. Horum quinque fidem vidit Christus. Quid opus pluribus? Nonne & ipse Christus dixit: Si duo consenserint super terram, de omni re quam petierint, fiet illis à patre meo? Si adeò insignem facit promissionem duorum dūtaxat orationi, quid non largietur vbi multi consenserint? vbi pro ratione addit, quòd in medio eorum sit, qui in nomine suo congregati sunt. Ergo dum sancti in cœlo agentes, preces simul fundūt cum hominibus pœnitentibus, Christus est in medio eorum, ac preces exaudit. Atq; hæc est promissio quam quærit Artopæus: qua promittit Deus exaudire, dum sanctos comprecatores adhibemus. Studium itaq; nostrum in hoc est, cùm alterius preces flagitamus, vt plurium vnà orantium preces exaudiat Dominus. Propheta Hælisæus interpellatus à tribus regibus, Iosaphat, Ioram, & rege Edom, dicit se non fuisse respon-

Matth. 18.

4. Reg. 3.

responsurum nisi affuisset Iosaphat. Dominus amicis Iob dixit se exauditurum Iob pro eis orantem.
Cap. 149. Hinc Augustinus, tractans illud Exodi: Sine me vt irascatur furor meus: Ille (inquit) ibi sensus in prōptu est, quòd his verbis significat Deus plurimum apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebatur, quem sic Dominus diligebat: Vt eo modo admoneremur, cū merita nostra nos grauassent ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Nam cum ab omnipotente dicitur homini: sine me, & conterā eos, quid aliud dicitur quàm contererem eos nisi diligerentur abs te? Ita ergo dictum est, sine me, ac si diceret: Noli eos diligere & conteram eos. quia ne id faciam, dilectio tua in illos intercedit mihi. Obtemperandum autem esset Domino dicenti, Noli eos diligere, si hoc iubendo dixisset, & non potius admonendo & exprimendo quid illum ab eorum
Idem. supplicio reuocaret. Et cap. 108: Iubet Dominus (inquit) ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significantur his etiam martyres sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui. Hæc Augustinus.
Et antiquitus sanctis semper moris fuit, dum orarent, allegare merita sanctorum præcessorum suorum: quia suis orationibus non fidentes, orationem meliorem digniorem'q; fore reputabant, si per aliorum merita Christus rogaretur, vt suo merito
Exod. 32. eam subleuaret. Recordare (inquit orans Moyses) Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum etc. Non enim habetur ab orante solummodò ratio diuinæ promissionis, verumetiam obedientiæ pietatisque personarum. Sicut & Abrahæ propter obedientiam eius, facta est
Genes. 22. promissio. Per memetipsum iuraui (ait Dominus) quia fe-

quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & veluti arenam quæ est in littore maris: posſidebit semẽ tuũ portas inimicorũ suorũ, & benedicẽtur in semine tuo omnes gẽtes terræ, quia obedisti voci meæ. Rursum, Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gẽtem magnam & robustiſsimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudiciũ & iustitiã: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. Quid apertius dici potuit, ad docẽdum propter pietatẽ Abrahæ, complenda fuisse quæ ei locutus fuerat Dominus? (Tametsi pactum hoc, de mittendo semine Eue quod caput antiqui serpentis contereret, omnem obedientiam ac omnia pacta postea cum Abraham vel Dauide inita præcesserit: nec ob cuiusquã meritum in oculis Dei præcedens, Deus homo factus sit.) Rectè igitur cum causam asſignat scriptura cur Deus noluit disperdere posteros Dauid, nunc pactũ cũ Dauide initũ cõmemorat: Noluit (inquiẽs) Dñs disperdere domum Dauid propter pactũ quod inierat cũ eo: & quia promiserat vt daret ei lucernã & filijs suis omni tempore: nunc verò obedientiam eiusdẽ Dauidis: Propter Dauid dedit illi Dominus Deus suus lucernã in Hierusalẽ, vt suscitaret filios eius post eum, & statueret Hierusalem: eò quòd fecisset Dauid rectũ in oculis domini, & non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethęi: Aliàs verò vtrunq; simul, & Dei pactum, & Dauidis meritum commemorat. vt Esaias 19. cap. 4. Reg: Protegam, inquit, vrbẽ hãc, & saluabo eam propter me & Dauid seruum meum. Commemorant, inquam, Sancti

Genes. 18.
Genes. 3.
2. Paral. 21
3. Reg. 15.

Sancti peculiare hoc Dei pactum,quod cum Abraham & Dauid initum est, nec hoc quidem tantùm, sed etiam,idq́ frequenter,promissionem illam Decalogo annexam, qua pollicetur Deus se facturum misericordiam in multa milia, siue in mille generationes,his qui seruant præcepta sua.Moyses Exod. 34.Salomon 3.Reg.8. Ieremias 32.Daniel.9. Nehemias 2.Esdræ 1.& 9:Vbi intelliguntur,cum hoc pacto allegare simul obedientiam,& pietatem patrum piorum, vt illorum intuitu parcere velit Dominus peccatis eorum & patrum impiorum. An autem putârunt hi sancti viri, sese hac ratione derogare gloriæ venturi seminis Abrahæ, à quo omnis benedictio expectabatur?Non puto. Hos imitatur ecclesia Christi, cùm sanctorum precibus ac meritis petit à Deo iuuari.Non igitur putãdum est Christi Ecclesiam adhibere sanctos patronos, veluti Christi patrocinium & intercessio insufficiens esset ijs, qui per Christum patrem accedunt,vel quasi sancti sint mediatores aut aduocati Christo subsidiarij, & partem aliquam officij eius occupantes:sed potius, vt se ex parte nostri, qui conciliãdi sumus, teneant, quò sic faciliorem per Christum ad patrem accessum nostrum sentiamus: & vt Christus per eos & nos simul,inuocatus, facilius nostras preces, frigidas nimiũ,dignetur sua cõmẽdatione acceptas Deo patri reddere.Nam queádmodum propriam humilitatem,fidem,& orationem adhibemus, ita & alienam.Porrò, si rẽ penitius velimus intelligere, magnum hîc est ecclesiæ catholicę mysterium:quę veluti columba vna, & vidua vna, gemitibus inenarrabilibus postulat pro sanctis, hoc est christianis: Non quòd vnius oratio fit inenarrabilis gemitus, sed quia ex omnibus omnium gemitibus efficitur vnum veluti corpus orationum, quod ascendat ad Deum.Hac ratione ecclesia, mater nostra Hierusalem,ve-

Deuter.5.

ſem, veluti altera Sara parit Deo filios promiſsionis. Sola quippe eſt per quam ſacrificium Dominus libenter accipit, ſola quæ pro errātibus fiducialiter intercedit. Hęc eccleſiaſticę vnionis myſteria tollit, quiſquis ſanctos ſiue hîc, ſiue cū Chriſto viuentes implorare, vt ipſi quoq; pro nobis orent, malū eſſe aſſerit: Sicut ſanctorū pro ſe mutuò orationē tollit, quiſquis putat Chriſti aduocati & mediatoris gloriæ ab eis detrahi, qui ſanctos cōprecatores ſibi adhibent. Detrahit enī æquè Chriſto, is qui pro alio orat, ſi ille detrahit qui alium pro ſe orare cupit. Greg. lib. 35. moral. cap. 6.

Sanctorum inuocationem non aduerſari vnico mediatori Chriſto. CAPVT IIII.

SExta ratio Monhemij: *Cum Chriſtus vnicus ſit conſtitutus à Deo patre mediator, cuius interceſsione vult nobis eſſe propitius & exorabilis, profectò qui hunc deſerunt, ijs nullus acceſſus ad Deum ſupereſt. Nec quicquā à Deo præter iram, iudiciū, ac terrorē cōſequētur.* Fatemur & nos graue eſſe peccatū, relicto Chriſto mediatore velle ad patrē accedere. Oratio enim (inquit Aug.) quæ nō fit per Chriſtū, non ſolū nō poteſt delere peccatū, ſed etiā ipſa fit in peccatū. Cæterū, qui ſanctos implorāt, vt pro ſe orent, Chriſtū nō magis derelinquunt, quàm Centurio orās amicos vt Chriſtum pro ſe adirent: Non magis quàm Paulus, dū precaretur Romanos vt pro ſe orarent. Animaduertendū itaq; eſt, quòd ſi Paulus hoc ſenſu Chriſtum diceret vnicū mediatorē, quaſi nullius interceſsio, nullius oratio pro altero apud Deū reciperetur niſi Chriſti (ſicut argumentatio Monhemij prętendit,) conſequēs erit, nec ſanctos angelos, nec hîc viuētes pro alijs poſſe orare, ac proinde, nec ipſum, pro alijs debuiſſe orare ne Chriſti mediatoris officium inuaderet, Quod vtrumq;, etiam Monhemio fatente, contrariū eſt ſcripturæ. Quapropter In Pſalmū 108.

non hoc ſenſu dicitur Chriſtus vnicus mediator, tanquam vnicus ipſe eſſet pro alijs orator. quo autem, ex Apoſtolo videamus.

Explicatur germanus ſenſus illius: Vnus mediator Dei etc. *CAPVT V.*

Act. 19. DIcit Apoſtolus (in epiſtola ad Timotheũ epiſcopum Epheſiorum, qui in Actis leguntur dediti fuiſſe Magiæ) vnicum eſſe mediatorẽ, omnium redemptorem: Confutans eos qui apud Epheſios magica ſectabantur, & docebãt angelos eſſe mediatores & recõciliatores ad Deũ, nõ autem
Coloſ. 2. Chriſtũ. De qualibus et ad Coloſſenſes (qui etiam Aſiani erant) mẽtionem facit. Nemo (inquiens) vos ſeducat, volens in humilitate et religione angelorũ.
In eundẽ locum. Vnde Chryſoſt. Sunt, inquit, nonnulli qui dicunt non oportere per Chriſtũ reconciliari, & ad patrem accedere, ſed per angelos. Et hęc eſt cauſa, cur Apoſtolus, peculiariter in epiſtola ad Epheſ. tam diligẽter inculcet acceſſum ad patrem per Chriſtũ. Vnde
Cap. 19. & 22. etiam Ioannes in Apocalypſi, Aſianis ſcripta, velut induens, & in ſe facto atq; opere transfigurans perſonam eorũ, qui putabant dęmones adorãdos, eiſq; ſacrificandum, quia quædam nuncia ſuis cultoribus à ſummo Deo, tanquã mediatores ſeſe afferre perſuadebant, bis voluit angelũ, qui ei myſteria oſtendebat, adorare, ſed ſtatim prohibitus eſt. Ac ita, more prophetarũ, ipſo opere docuit Ioannes, ſolũ Deũ ſummo hoc honore colẽdũ. Subijcitq; Ioãnes, Chriſtum ſequi omnes exercitus cœlorũ, & mittere an-
Quæſtiõe 61. ſuper Geneſ. gelos cui voluerit. (Quanquã Auguſtinus putet talem apparuiſſe angelum, vt pro Deo poſſet adorari, ideoq; corrigendũ fuiſſe adoratorẽ.) Hunc autẽ angelorũ cultũ propagârat Simon Magus: teſte Epiphanio. Simon, inquit, nomina quædam ſupponit

princi-

principatuum & potestatum, cœlosque diuersos tradit: & in vnoquoque cœlo virtutes quasdã exponit, & nomina barbarica his indit. Nõ posse verò aliter seruari aliquem, nisi hunc mysticum ductũ didicerit, & alia sacrificia patri vniuersorum per eos principatus ac potestates offerre. Sumpsit autem Simon hæc ex Platonicis, tradentibus dęmones esse colendos tanquam mediatores ad Deum. Quod patet ex Augustino, latè ideò contra eos disserente, lib. 9. & 10. de ciuit. Dei, & epist. 21. & 22. ad Longinianum. Hæc est igitur causa, cur vnicum mediatorẽ tradat Apostolus. Porrò in ipsa particula, Mediator Dei & hominum, valde notatos fuisse iudaizantes, infrà patebit: si primùm admonuerimus quòd hoc nomen, Mediator, ab Apostolo sumptum sit, & Christo tributũ, ex historia Exod. 20. & 24. & Deuter. 5. & 19. descripta. Cum enim populus Israel ex terribilibus, iisque conspicuis signis diuinæ præsentiæ in monte Sina, prorsus esset perterritus, omninoque pauore concussus, dixerũt Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: nõ loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Tunc dixit Dominus ad Moysen: Audiui vocem verborum populi huius quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti. Quis det eos talem habere mentem: siue (vt 70. legunt) quis dabit sic esse cor illorum in ipsis, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore? quasi diceret Dominus: Maiestatem meam non ferunt, Te intermediũ inter se & me cupiunt: & promittũt se omnia facturos quæ tu ex me annunciaueris. Bene quidem loquuntur: bona & pulchra sunt verba, sed cor non respondet. Verè nullus est vel angelorum, vel hominum, qui sic queat inter me & homines medius esse, vt det eis tale cor, vel talem mentem, qua faciant mandata mea. Tunc adiecit Dominus, promittens talem mediatorem:

Exod. 20 Deut. 5.

Deut. 18.

Deut.18. Prophetã suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponã verba mea in ore eius, loqueturq́ ad eos omnia quæ præcepero illi, hoc est, sic eis loquetur vt timeant me, & obseruent præcepta mea. Hîc videre licet manifestam promissionem, quòd Christus futurus esset mediator inter Deum & homines: qui homines rebelles, Deo subiectos & obsequentes redderet, Deumq́ propitium ex irato, & quòd nullus hominum vel angelorum id posset. Cyrillus de hac re agens, lib 1. dialogorum, aliam adducit mediatoris figuram, nempe Aaron orãtem pro populo intereunte. Et hoc consonat nono capiti epistolæ ad Hebræos, vbi dicitur Christus noui testamenti mediator in redemptionem præuaricationum: Vt Aaron fuerit figura Christi peccata commissa remittentis per mediationem suam, Moyses verò figura Christi prout mediat ad hoc vt legem impleamus. sicut in epistola ad Galatas dicitur lex ordinata per angelos in manu mediatoris: vt scilicet auxilio mediatoris impleatur, non auxilio angelorũ. Igitur in epistola ad Timotheum, mediator Christus dicitur inter Deum & homines, quia Deo homines reconciliat: eum placando super peccatis cõmissis, & promerendo hominibus spiritum quo Deo deinceps obediãt. Tangit ergo Apostolus eos, qui propria peccata & infirmitatem non agnoscentes, Deum audent sine vllo mediatore accedere, confidentes in externa quarũdam cæremoniarum obseruatione, per eas putantes se Deum placare: sicuti legem iam cognitam se arbitrabantur suis viribus posse implere. Ex dictis iam manifestum est, sanctos angelos atq́ homines, dũ pro aliis orant non esse mediatores eo modo quo Christus: tum quia non placant Deum per semetipsos, tum etiam quòd non promereãtur nobis spiritum obedientiæ per seipsos. Si verò quia pro nobis orãt

dicantur

dicantur mediatores, non tamen dicendi sunt mediatores Dei & hominum, sed potiùs (si sic loquendum sit) mediatores ad mediatorẽ. Quicquid enim petit angelus sanctus vel homo, id à Deo per mediatorem Christum petit, non per semetipsum: vti Christus. Vnde Bernardus: Opus est (inquit) mediatore ad mediatorem Christum. Nec alter nobis vtilior quàm Maria. Et Cyrillus similiter, Prophetas & Apostolos mediatores vocat. Deinde nemo est præter Christum, qui pro omnibus Deo conciliandis mediet. Nemo ergo prętер Christum est mediator Dei & hominũ, omnium scilicet qui mediatore egent. Ex his duabus rationibus: nempe quòd mediator ad Deũ, immediatè Deum debeat accedere, & pro omnibus intercedere, docet Augustinus solum Christum esse mediatorem. Pro quo (inquit) nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusq; mediator est. Rursum: Oratio pro inuicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendat ad caput quod præcessit in cœlum: in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si Paulus esset mediator, vtiq; & coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat: Vnus mediator Dei & hominũ. Si autem nomine mediatoris intelligas intercessorem qualemcunq;, manifestum est plurimos esse mediatores. Deinde & hoc notandum, In voce mediatoris duo cõtineri. Primum est officium mediationis, quod est reconciliare discordes: ac iusti quidem mediatoris est ita reconciliare, vt qui causam iustam fouebat, à iure suo non decidat: qui verò iniquam, ad iustitiam redigatur. Sic Dominus Christus inter patrem suum & humanum genus intercessit, pacemq; composuit: vt & diuinæ iustitiæ sit satisfactum, & iniquus homo ad iustitiam sit conuersus. Secũdò inuoluitur in voce mediatoris, quòd vtriq; discor-

Ser. vlt. de assumpt. B. Marię.
Lib. 12. thezauri cap. 10.
Lib. 2. cõtra epist. Parmeniani cap. 8.

discordantium sit propinquus, similis, & aliqualiter amicus, atq; ab vtroq; aliquantulum distet. Si enim omnino vnum sit cum altero, tenet se tantùm ex parte illius, nec mediat. Si verò omnino ab vtroq; distet, iam non poterit cõiungere discordes. In quibus verò Christus cum hominibus cõueniat, & distet à Deo: & in quibus item ab hominibus distet conueniens cum Deo, post Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Cyrillum, Leonem, luculenter explicat Fulgentius. Idcirco (inquit) mediator, quia idem Deus atq; homo verus, habẽs vnam cum patre diuinitatis substantiam, & humanitatis vnã cum matre substãtiã. Habẽs ex nobis vsq; ad mortẽ iniquitatis nostræ pœnã, habẽs incõmutabilẽ de Deo patre iustitiã. Propter iniquitatẽ nostrã temporaliter mortuus, propter iustitiam suam & ipse viuus semper, & immortalitatem mortalibus largiturus. Qui perfectam quidem humanitatem suam in ipsa diuinitatis suę perfectione seruauit, veritatẽ verò mortalitatis nostrę per susceptionẽ mortis veritate atq; incõmutabilitate suę immortalitatis absorbuit. Hęc Fulgentius. Dicta sint hæc pro intellectu scripturæ Paulinæ, ex qua falsò statuunt hęretici sanctos cum Christo agentes non orare pro nobis.

Cap. 2 li. de fide ad Petrum.

Impertinẽtia allegare Monhemium: Et sanctos, ea parte qua sancti sunt, non opus habere intercessione Christi.

CAPVT VI.

Lib. de Isaac & anima c. 8

ALlegat Mõhemius verba Ambros. *Ipse Christus est os nostrum per quod patri loquimur, Oculus noster per quem patrem videmus: dextera nostra per quam nos patri offerimus:* Quæ nos gratissimè confitemur. Sed etsi Christus os nostrum sit, per quod patri loquimur, tamẽ Apostolus absq; iniuria Christi cupiebat, vt Romani pro se orarent: vt videlicet ipse & Romani vnà orantes, per Christũ veluti os suũ patri loquerẽtur. Etsi, inquã, Christus oculus,

Rom. 15.

& os,

& os,& dextera nostra rectè dicatur ab Ambrosio: audet tamen Apostolus etiã mẽbris ecclesię officiũ oculi & manus tribuere, nulla cum Christi iniuria. Imò in eodẽ libro ipsemet Ambros. nõ veritus est dicere, etiã per angelos nos Deo loqui, siue orationes nostras per eos recitari ipsi Christo. In Apocal. (inquit) legimus, quod ascẽdit fumus incensorũ ex orationibus sanctorũ, quæ incensa referuntur per angelũ, Sanctorũ orationes .s. super altare illud aureũ, quod est antè sedẽ. Sed q̃ disertè Monhemij sententiã euertat Ambros. infrà manifestũ euadet. Addit deinde Monhemius: *Nisi Christo intercedente, nec nobis, nec sanctis quicq̃ cum Deo est.* (Et hoc ex Caluini Institut. cap. 15. para. 15. hausit.) Quis autẽ hoc neget? Clarũ est, ꝙ nunc nemo hominũ, vel angelorũ Deũ oret nisi per Christũ, caput hominũ, & angelorum: & ꝙ absq; mediatore nullus hominũ Deo gratus effectus sit. Verũtamẽ sancti angeli Deo placẽt, etiã absq; Christi intercessione, nec (vt delirat Artopæus) Christo patrono nobiscũ opus habẽt. Non enim angelos apprehendit Christus (inquit Apost.) sed semen Abrahę: nec pro eis qui nõ peccauerunt se redẽptorẽ dedit, sed pro impijs: nec Dei & angelorũ, sed Dei & hominũ est mediator: nec angeli in Apocalypsi, hominũ more, agnũ vt redẽptorẽ suũ glorificãt. Ad hęc, viderũt faciẽ Dei, priusquã Christus mortuus esset. Non enim pro eis mortuus est Christus, inquit, Aug. quãquã & eorũ secundũ humanã naturã caput sit ac rector. Et cum animę sanctorũ iã plenè iustæ sint, etiã citra Christi intercessionẽ eas Deo placere fatẽdũ est: sicut & bona opera nostra quæ ex Christo habemus, Deo placẽt citra aliquã intercessionẽ. Vnde Christus dicebat Apost. suis (dũ de ijs loqueretur ex ea parte, qua per spiritũ sanctũ iustificati erãt, ampliúsq; in die Penthecostes iustificãdi): Et nõ dico vobis, quòd ego rogabo pa-

1. Cor. 12.

De Isaac & anima.

Apoc. 8.

Hebr. 2.

Enchir. cap. 61.

Ioan. 16.

trem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & crediḋiſtis, quia à Deo exiui. Inter Deum enim & homines nil niſi peccata ſeparát. Iuſtitia ergo mediatore & interceſſore nõ indiget, ſed ea tãtũ ratione homo interceſsione opus habet, qua vel peccatũ habet, vel peccati effectũ. Obijcit ſibi Monhemius id, quo certè omnia priora eius argumenta euincũtur: Viuos ſcilicet in hoc mũdo rectè orare pro viuis, abſq; iniuria vnici mediatoris: vnde nimirum manifeſtè cõſequitur nec iniuriã eſſe mediatoris, ſi angeli, & Sanctorũ ſpiritus Deũ precẽtur pro nobis. Ita verò reſpondet ad hoc argumentum, vt dicat orare quidẽ debere viuos pro viuis, tanquã pro mẽbris ſuis, & ſeſe mutuis orationib⁹ cõmẽdare: ac ideo id mediatoris vnici officio nõ aduerſari, quia orationes hominũ hîc viuẽtiũ ad caput Chriſtũ aſcendũt: hæc autẽ omnia non cõpetere ſanctis, in cœlo iam cũ Chriſto agentibus nõ oſtẽdit. Quos tamẽ eſſe etiam cõmembra noſtra, pro nobis ſolicita, & orationes eorũ vnà cũ noſtris ad caput Chriſtum aſcendere, nemo pius dubitauerit

Aug. de ſpiritu & lit. ca. 25.

Auguſtinũ docuiſſe, inuocandos eſſe ſanctos. *CAP. VII.*

CItat Auguſtinũ Monhemius, dicẽtẽ Chriſtũ eſſe vnicũ mediatorẽ dei et hominũ, quia ipſe pro omnibus, & nullus pro ipſo orat. At nec id negamus. Verũ eodẽ loco Aug. docet petere orationes hominũ hic viuentiũ: nec per hoc putat inuadi officiũ mediatoris Chriſti. Ergo ſimiliter nihil vnici mediatoris officio aduerſatur oratio, ſeu inuocatio, ſanctorũ in cœlo cũ Chriſto agentium. Quia verò Parmenianus Donatiſta (contra quẽ agit Auguſtinus) putabat ſacerdotẽ bonum cõferre gratiam ſacramentorum, malũ autẽ, quos baptizaret, polluere: oſtendit Auguſtinus, plebem ſecuram eſſe per Chriſtũ aduocatũ et mediatorẽ, etiã ſi epiſcop⁹, vel ſacerdos, malus ſit. An inquit, propterea dicunt

Donati-

Donatistæ: Deus peccatores non audit: sed si quis Deũ colit, & volũtatẽ eius facit, hũc audit, vt intelligatur malus episcop⁹ nõ exaudiri, cũ pro populo rogat? Quod etsi ita esset, nõ ideo tamẽ popul⁹, si bonus atq; fidelis est, solicit⁹ esse deberet. Securos enĩ illos facit illa scriptura, quæ ait: Fratres hæc scribo vobis, vt nõ peccetis. Et si qs peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Sed, Monhemi, quid tibi cum Augustino, qui eius autoritatem omnibus modis niteris infringere? Vtinam pro sua dignitate abs te reciperetur: qui sic in libro, quem de cura pro mortuis gerenda vocauit, scribit: Non video quod sit adiumentum mortuorum prouisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, nisi ad hoc, vt dum recolunt vbi sint reposita eorum quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent. Et infrà: Cùm recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est his, qui cùm in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Et alibi: Beatus Cyprianus (inquit) iam corpore quod corrumpitur non aggrauante animam, nec deprimẽte terrena inhabitatione sensum multa cogitantem, serenius perspicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatem. Adiuuet itaque nos orationibus suis, in istius carnis mortalitate tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino, quantùm possumus, bona eius imitemur. Et in 17. sermone de verbis Apostoli: Habet (inquit) Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cùm martyres

Cap. 8. libri 2. contra Parmenianũ.

1. Ioan. 2.

Cap. 4.

Idem.

Lib. 7. de bap. cõtra Donat. cap. 1.

Idem.

tyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria eſt enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. Item
Cap.8. lib.22. de ciuit. Dei: Florentius (inquit) ad viginti martyres clara voce vt veſtiretur orauit. Audierũt eũ adoleſcẽtes, qui fortè aderãt irriſores, eũq; diſcedentem exagitãtes proſequebãtur, quaſi qui à martyribus quinquagenos pholles, vnde veſtimentũ emeret, petiuiſſet. Ecce loci ex libris qui certò ſunt Auguſtini: vbi docet, & approbat, compellare ſanctos in cœlo cũ Chriſto agentes, vt nos Deo orãdo commendent: quales Artopæus (vt eſt temerarius) dicebat in Auguſtino non reperiri. At Artopæus obijcit, Auguſtinum dicere, quòd martyres à ſacrificante non inuocantur: ac proinde, cùm ſacerdotis precatio ſit totius populi precatio, (vnde & collectæ nomen accepit) neminem tempore Auguſtini ſolitum inuocare Sanctos. Reſpondeo. Dum ſacrificat ſacerdos, neminem in ipſo ſacrificio præter vnũ deũ, cui ſoli debetur ſacrificiũ, inuocat. Interim dũ ſeſe vnà cũ populo ad ſacrificium parat, tunc & mutuis orationibus, & cœleſtibus ciuibus ſe commendant. Non enim tantùm tunc orabatur, quãdo à ſacerdote Collecta legebatur: cũ oratio fiat circa Offertorium, nulla ſequente Collecta. Quid ergo aduerſarijs in hac re cũ Auguſtino? Quid prætextu autoritatis viri catholici atq; doctiſsimi, ita hoĩbus fucum pro ſuo errore faciunt?

Pholliserat genus nummi.

Lib.22.de ciuit.dei, cap.10.

Explicantur Chryſoſtomi verba, peruerſè à Monbemio allegata: quòdq; ipſe docuerit Sanctos cum Chriſto agentes inuocandos. CAP. VIII.

SImilis farinę eſt, quòd Chryſoſtomũ allegat ex ſermone de profectu Euãgelij. Ibi Chryſoſt. de ijs agit, qui dũ diuitijs nõ affluunt, per quas diuitum more alios ad orandũ pro ſe inducãt, deſperare inci-

rare incipiũt. Vnde inferiùs dicit: Licet soli sumus, & intercessoribus careamus: ne deficiamus orãdo: ne despõdeamus animũ. Et in ipsissmet verbis quæ citat Monhemius, Nõ opus, inqt, tibi discursu multo, vt blandiâre alijs. Quę verba manifestè cõpetũt in hoïes mortales: quos vt nobis conciliemus, vel discursu, vel blãdimẽtis sępe opus est. Dũ verò adijcit, deũ nõ tã facilè audire, cũ alij pro nobis orãt, vti cũ ipsimet orâmus: cõparat eos qui pro seipsis soliciti nõ sunt, & alios interim pro se precatores adhibẽt, cũ ijs qui soli pro se orãt. Hi vtiq; Deo lõgè illis sunt gratiores, faciliùsq; exaudiuntur. Porrò qũo ea quę citasti, dicat Chrysostomus, ex alijs locis didicisses, Monhemi, si ei aliqd tribueres. Homilia enim 5. in Matthæũ sic scribit: Etiã si Abrahã patriarcha pro his supplicet, qui in suis vitijs permanẽdo immedicabiliter ęgrotãt, abibit Deus, relinquẽs rogantẽ, ne vocẽ pro talibus interuenientis exaudiat. Nõ igitur quasi oscitãtes & desides ex aliorũ meritis pẽdeamus. Habẽt enĩ vim pro nobis, & qdẽ maximã, orationes supplicationesq; Sanctorũ: sed tunc profectò, cũ nos quoq; idipsum per pœnitentiã postulamus, & ad studia meliora confugimus. Similia habet & ĩ Genesim. Apertissimã verò (sup Sãctorũ inuocatiõe) sentẽtiã suã ꝓfert populo Antiocheno. * Et Christus, inqt, discipulos suos etiã tũc postq̃ obierũt, effulgere fecit. Quid dico discipulos? Nã & eorũ loca & sepulchra, simul & tẽpora perenni memoria celebrari curauit. Tu verò mihi sepulchrũ ostendas Alexãdri, & profer diẽ, quo vitã finiuit. Sed nihil horũ insigne. Sed oĩa destructa sũt, & exterminata. Christi verò seruorũ & sepulchra clara sunt, regiã assecuta ciuitatẽ, & dies notissimi, mundo festam afferẽtes lętitiã: Et illius (Alexandri) quidẽ loculũ & ꝓprij nesciũt. Horũ autẽ sciũt & barbari. Et seruorũ crucifixi sepulchra regijs aulis sũt clariora: non

In 1. cap. Matth.

Hom. 43. in cap. 19. Genes.

* Ho. 66

non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine, (nam & in hoc quidam superant), sed quod multo maius est, conuenientium studio. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deũ intercedant, & scœnarũ fabrum, & piscatorem, etiam mortuos, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Hæc ille. Viden Artopee hîc à Chrysostomo plusquam: grÿ: de Sanctorum, nõ mortuorum, sed cum Christo in cœlis viuentiũ inuocatione dici. Quæ & ipsi Theologi Colonienses fol. 212. adduxerant, sed (vt perfrictæ frontis es) ausus es dicere, ne grÿ quidem de hac re ab eo dici.

Explicatur Ambrosij sententia: quòdq; clarè docuerit, inuocandos esse martyres. CAP. IX.

SImili artificio adducitur Ambrosio inscriptus commentarius, in caput primum epistolæ ad Romanos, contra ipsiusmet loci sententiam. Agit enim apertè de idololatris, de quibus & Apostolus. Solent (inquit) pudorem passi neglecti Dei, misera vti excusatione, dicentes, per istos posse ire ad Deum, sicut per comites peruenitur ad regem. Agè, nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam regis vendicet comiti, cùm de hac re, si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis? Et isti se non putant reos, qui honorẽ nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant, quasi sit aliquid plus quod reseruetur Deo. Nam ideo ad regem per tribunos aut comites itur, quia homo vtique est rex, & nescit, quibus debeat Rempublicam credere. Ad Deum autem (quem vtiq; nihil latet, omnia enim merita nouit) promerendum, suffra-

suffragatore non opus est, sed mente deuota. Hæc cõmentarius. Quòd si eam rationem cõmentarij illius contra Sanctorum cum Christo agentium inuocationem detorqueas, cur non & contra orationes hominum adhuc hîc viuentium, quas à se mutuò postulant, quasq́ pro se mutuò fundunt? Audi ergo verba, quæ certò constat esse Ambrosij: Rogauerunt (inquit) pro vidua Petrus & Andreas. Vtinam existat aliquis, qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste, qui pro socru rogat Petrus, & Andreas frater eius. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Videtis enim, quòd magno peccato obnoxia minus idonea sit, quæ pro se precetur, certè quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Ægri enim, nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare nõ possunt. Infirma est caro. Mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita: ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigiũ. Obsecrandi sunt angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrociniũ vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuumq́ nostrorũ. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, qui & ipsi infirmitatem corporis etiã cùm vincerent cognouerunt. Et in Lucam: Mortuis regibus (inquit) in perpetuum martyres regnũ, cœlestis gratiæ honore succedũt: & illi fiũt supplices, hi patroni. Rursum: Vnde (inquit) te euocem Petre, vt doceas me quid flens cogitaueris: Vnde, inquã te euocem? De cœlo, vbi iam choro insertus es angelorũ: an etiam de tumulo? Quia non putas iniuriã & ibi esse, vnde Dominus

Libr. de viduis.

Lib. 10. in Lucam in cap. 21.

Lib. 10. in Lucam in cap. 22.

Dñs resurrexit. En aperta verba, quibus Ambrosius Sanctos & docet inuocandos, & ipsemet inuocat. Tametsi enim priora ex lib. de viduis, etiam ipsi Colonienses citassent, fol. 216: nõ veretur tamẽ impudenter & mendacissimè exclamare Artopęus fol. 133: *Quosnam inuocandos docuit Ambrosius? Quibus verbis? Ecquid pudet?* Prudentij Christiani poëtæ verba adijcienda sunt: quia luculenter & iucundè admodũ indicant, quid eius tẽpore (qui Ambrosio synchronos fuit, floruitq́ circa annum Dñi 370) de hac re senserit tota Ecclesia: cuius ritum describebat.

In hymno martyrũ Hemiterii & Chelidonii Calaguritanorum.

Sic autem scribit in libro de coronis Martyrum:

Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obseruantes
Voce, votis munere.
Exteri nécnon & orbis
Huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix.
Hîc patronos esse mundi,
Quos precantes ambiant.
Nemo puras hîc rogando
Frustrà congessit preces,
Lætus hinc tersis reuertit
Supplicator fletibus:
Omne quod iustum poposcit
Impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis
Cura suffragantium est,
Non sinant inane vt vllus
Voce murmur fuderit,
Audiunt, statimq́ ad aurem
Regis æterni ferunt.

Inde

Inde larga fonte ab ipso
Dona terris influunt,
Supplicum causas petitis
Quæ medelis inrigant.
Nil suis bonus negauit
Christus vnquam testibus.

Et ĩ fine hymni de S. Laurẽtio, sic martyrẽ alloqtur:

Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè,
Poscunt, litantur, indicant,
Et tristis haud vllus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosq; alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter ô Christi decus
Audi & poëtam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus (agnosco, & scio) Nota.
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et seruientem corpori
Ablue vinclis seculi.

Item in fine hymni de martyre Eulalia:

Ista comantibus è folijs
Munera virgo, puerq; date,
Ast ego serta choro in medio

Texta feram pede dactilo,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic *venerarier ossa libet,*
Oßibus altar & impositum,
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosq́; suos
Carmine propitiata fouet.

Insuper & in fine hymni de sancto Vincentio:

Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas vngulas,
Per carceralem stipitem.
Per fragmen illud testeum,
Quo parta creuit gloria,
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum.
Miserere nostrarum precum,
Placatus vt Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si ritè solennem diem
Veneramur ore, & pectore,
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur.
Paulisper huc tu inlabere
Christi fauorem deferens:
Sensu grauati vt sentiant
Leuamen indulgentiæ.

In hymno quoque de martyre Casiano, sic sibi æditüum

æditūum loquentem inducit:

Suggere si quod habes iustum, vel amabile votum,
Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas.
Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes,
Ratasq; reddit, quas videt probabiles.
Pareo, complector tumulum, lacbrymas quoq; fundo,
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris,
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro,
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri fortè nutantem boni.
Audior, vrbem adeò, dextris successibus vtor:
Domum reuertor, Cassianum prædico.

Itē in descriptione passionis Hippolyti martyris:

Mira loci pietas, & prompta precantibus ara,
Spes hominum placida prosperitate iuuat.
Hîc corruptelis, animiq; & corporis æger
Oraui quoties, stratus opem merui,
Quòd lætor reditu, quòd te venerande sacerdos
Complecti licitum est, scribo quòd hæc eadem,
Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulet, annuere.

Hæc Prudentius. Alia plura (quæ habet in carmine de martyribus Cæsaraugustanis: in carmine de martyribus Tarraconensibus: & cùm de sancta Agnete scribit) hîc recensere omitto, ne æquò prolixior videar. Ad Paulinum, Nolanum Episcopum, veniam, qui Prudentio contemporaneus fuit, eademq; quæ ille, de hac re scripsit, tam carmine, q̃ prosa. Sic enim suo Seuero scribēs de quodã sancto presbytero, nomine Claro, dixit:

Clare sub æterna pace beatus agis.
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum.

Vt sis Paulini Therasiæq; memor.
Dilige mandatos interueniente Seuero:
Quos ignoraSti corpore sic meritos.
Vnanimi communis amor sit fomes vtrisq;
Perpetui summo fœderis in domino.
Non potes implicitos diuellere, si trahis vnum,
Vnus adhærentem quò rapitur rapiet.
Ergo indiuiduos pariter complectere fratres,
Vtq; sumus sic nos dilige participans.
Sic Deus acciuit: sic nos Martinus amauit:
Sic & tu pariter Clare tuere pares.
Non meritis sed amore pares, tu sancte valebis,
Exorare pares & meritis fieri.
Si cum Martino socia pietate labores:
Vt vincant vestræ crimina nostra preces.
Et simul in vestri ducamur sorte, Seueri,
Vestraq; nos semper protegat ala sinu.

Et epistola 13. ad eundem: Salutamus, inquit, te tantum, quantum diligimus in Domino, & adhuc desideramus. Nam reuellere de animis nostris spem istam necdũ possumus, qua præsumimus te videndum amplectendumq; nobis, dono Domini, in sede ac sinu domini mei communis patroni Felicis, cui vota tua totiens contestatus sum, & promissa recitaui, quotiens à te mihi cauta reminisceris. Si fefellimus martyrem veritatis, non opiner me solũ statuendum huius culpæ reum, qui spopõdi quod credidi. Tu quęso mi frater vnanime & dilectissime, dũ tempus est videas, ne tanto confessori tam potentis gratiæ apud Christum sancto isse videaris inficias.
Si cui hęc nõ sufficiãt, plura q̃rat apud eũdẽ in panegyrico de puero Celso: & in carminib⁹ de Felice.

Idem ex Irenæo, Hilario, Basilio, & Nazianzeno.

CAPVT X.

Et ne

ET ne fortè paucorũ doctorũ putes esse sẽtẽtiã, Sanctos vt pro nobis orent esse inuocandos, his adiungam & alios. Irinæus martyr Episcopus Lugdunensis, scriptor celebris, & peruetustus, libro 5. contra hæreses sic dicit: Sicut Eua seducta est, vt effugeret Deũ: sic Maria suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ Maria virgo fieret aduocata. Hilarius: Sed neq; desunt (ait) stare volentibus Sanctorũ custodiæ, neq; angelorum munitiones. Et infrà: Ac ne leue præsidium in Apostolis vel patriarchis ac prophetis, vel potiùs in angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiunt, crederemus, adiectum est: & Dominus in circuitu populi sui ex hoc & vsq; in seculũ. Sed fortè Apostolorũ vel angelorũ custodia sufficiẽs existimetur. Verũ id qdẽ est: Sed & Moysen audiam⁹. Nãq; cũ ei Dñs dixisset: Ecce angelus me⁹ antecedet te, & ille respõdit: Nisi tu mecũ ambulaturus es, ne me expellas hinc. Bonũ qdẽ ꝑsidiũ angeli, sed melius Dñi. Floruit autẽ Ireneus, nõdũ à Christi incarnatione lapsis ducẽtis annis, q dicit Deiparam esse Euæ aduocatam: & Cyprianus (cuius tempore, dicit Nazianzenus, deiparam fuisse inuocatam) circa annum ducentesimum quinquagesimum. Quod ideo annotandum duxi, vt lectori pateat impudens Brentij mendacium, dicentis: *Manifestum est, quòd post Christum natum nec Apostolorum temporibus, nec annis pòst plusquàm trecentis, inuocati sint mortui in Ecclesia*: Cùm Basilius, Hilarius, Nazianzenus, Hieronymus, Chrysostomus, intra trecentos annos ab Apostolorum temporibus vixerint. Basilius inquit: Beneficium hoc, fratres dilectissimi, gratiam hanc minimè deficientem, ex Deo obtinemus. Paratum est hic Christianis auxilium, Ecclesia videlicet martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantiũ Deũ. Sæpè operã dedistis, sępè laborastis, vt vnũ ꝑ vobis orantẽ inueniretis. Quadraginta sunt hi, vnã orationis emittẽtes vocẽ.

In psal. 124.

Exod. 32.

Serm. in 40. martyres.

Matth. 18 Vbi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est. Vbi verò quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse præsentē? Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: Qui rursus lætatur, hos oret. ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis. Et alibi: Memores estote martyris, quotquot illo per somnia potiti estis, quotquot in hoc loco constituti adiutorem ipsum ad precandū habuistis, quibuscunq; ex nomine aduocatus ipsis adfuit operibus, quotquot aberrantes ad viam reduxit, quoscūq; sanitate restituit, quibuscunq; pueros iam mortuos ad vitā reductos reddidit, quotquot vitæ terminos prorogauit. Collectis in vnum his omnibus ex communi symbolo, martyri encomium construite. Accedat his Gregorius Nazianzenus theologus, ex oratione 14 in Cyprianum: Virgo, inquiens, quædam ad stuprum solicitabatur, virginem Mariam rogauit, vt periclitanti virgini opem ferret, vicitq; virgo. In fine quoq; orationis ipse Cyprianum inuocans: Tu verò, inquit, nos ab alto propitius respice, nostrumq; sermonem ac vitam dirige, & sanctum ouile hoc pasce, aut vnà rege, ac reliqua quantū possibile est, ad meliora dispone, molestosq; lupos syllabarum, & verborū venatores illos abige: ac sanctæ trinitatis, cui nunc astas, splendorem, nobis perfectiorem & clariorem gratificare. Similiter & in alijs orationibus Athanasium atque Basilium inuocat.

In serm. s Mamantem martyrem.

Gregori⁹ Nazianzenus.

Nazianzenum citra tropum inuocasse sanctos: & non dubitasse, quin nostras preces cognoscant. CAP. XI.

RIdiculum autem est quod comminiscitur in confessione VVirtenberg. cap. de inuocatione sanctorum Brentius, per prosopopeiam ab eo hæc dici: (qua possemus etiam cœlum & terram, cæ-

ram, cæterasq; omnes creaturas alloqui: quasi videlicet significârit, non se colere & precari sanctũ Basilium, sed tantùm exprimere inenarrabilem illum gemitum omnium creaturarum pro nostra salute): Sicut satis euidenter cõstat ex fine orationis, quam habuit in funere sororis suæ Gorgoniæ, vbi ait: Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc sanctis animis à Deo munus vt talia resciscant, suscipe nostrum sermonem multorum epitaphiorũ loco, quẽ priùs Cesario, & tibi post illum persoluimus. Hæc enim verba significant, non propter illũ gemitum, quem omnis creatura habeat, sanctos inuocari: sed ob peculiare donum quod à Deo habent, per gratiã eius. Non enim natura sua possunt animæ defunctorum preces nostras nosse: vti Gregorio Nazianzeno consonus Augustinus bene monstrat lib. de cura pro mortuis gerenda. Neq; verò dubitantis sunt hæc Naziãzeni verba, vbi vtitur vocula: Si: sed maximè asserentis & vrgentis: Qualia illa Pauli ad Philemonẽ: Si habes me sociũ, suscipe illũ: Qualia itẽ illa: Si iudicastis me fidelẽ Dño esse, introite in domũ meã, & manete, Et illa Pauli ad Thessalonicenses: Si tamen iustũ est apud Deũ retribuere etc̃, Vt interĩ omittã, gręcã voculã εἰ, pro ὅτι sępe vsurpari à Græcis (si linguæ Græcæ peritissimo Guilhelmo Budæo credimus) sicut Latina, si, pro quia. Ipse Nazianzenus docet, & pronunciat audacter, in oratione 23. Sanctos nosse res mortalium. Athasius (inquit) in senectute bona vitã finiuit, postquã multa certamina exantlauit, ab alto (rectè noui) res inspiciens nostras, manũq; porrigens ijs qui laborãt pro bono: & tanto plus, quãto magis à vinculis est liberatus. Dubiumne remanebit post hęc verba, an Nazianzeni fuerit sentẽtia, q; Sancti cũ Christo agẽtes noscãt nostras preces, nobisq; manũ multo plus q̃ dum adhuc in corpore essent, porrigant?

Nazianzenus.

Act. 16.

2. Thes. 1.

Idē ex Hieronymo & ex alijs mōstratur. CAP. XII

ORdine sequatur presbyter Hieronymus, Nazianzeni discipulus, in epistola quā cōtra Vigilantium hæreticū scripsit, dicens: Si viuunt Sancti, honesto iuxta te carcere non clauduntur. Ais enim vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter arā Dei animas Apostolorum & martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaq; custodia, in fortunatorum insulis, & in campis Elysijs recludūtur. Tu Deo leges pones? tu Apostolis vincula inijcies, vt vsq; ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum domino suo, de quibus

Apoc.14 scriptum est: Sequuntur agnum quocunq; ierit? Si agnus vbiq;, ergo & hi qui cū agno sunt, vbiq; esse credendi sunt. Et cū diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia, vbiq; præsentes sint, martyres post effusionē sanguinis sui arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt? Et infrà:

Idem. De barathro pectoris tui cænosam spurcitiam euomens audes dicere: Ergo cineres suos amant animę martyrum, & circumuolāt eos, semperq; præsentes sunt, ne fortè si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint. O portentum in terras vltimas deportādum. Rides de reliquijs martyrum, & cum authore huius hęreseos Eunomio Ecclesijs Christi calumniam struis, nec tali societate terreris, vt eadē contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur. Oēs enim sectatores eius basilicas Apostolorū & Martyrū nō ingrediūtur: vt scilicet mortuū adorēt Eunomiū. Hęc scripsit Hieronymus, qui Vigilantij blasphemiā, putantis nō posse ideo Sanctos inuocari, quia præsentes nō sunt inuocantibus, rectissimè refutat ex eo, quòd sancti, agni Christi potentia, etiā pręsentes orātibus adesse possint: multo autē magis nosse preces ad se directas. Multū à Hie-

ronymo laudatus ille Ephraem, sit & ipse nobis hac in re arbiter. Precamur (inqt) beatissimi martyres, qui pro Dño saluatore proq; illius charitate spōte & impigrè tormenta sensistis, atq; ideo familiariùs Dño coniuncti estis, vt pro nobis miseris & peccatoribus & negligētiæ squalore sordētibus, Dominū interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi, quę corda nostra radio sanctę charitatis illustret, vt ipsum toto corde diligere possimus. Rursum eod. serm: Nūc ô beatissimi viri, ô gloriosissimi martyres Dei, me miserū vestris iuuate precibus vt in illa hora misericordiā consequar, quādo manifesta erūt occulta hominū. Et infrà: Ego item imbecillis, accepto vestris meritis & precibus robore, cecini tota deuotione animi ante sanctas reliquias vestras, hymnū vestrę laudis & gloriæ. Pro me igitur misero āte thronū maiestatis assistite, vt vestris precibus saluari merear, ac vobiscū ęterna beatitudini perfrui. Sic ille. Maximus in natali sanctorum Nazarij & Celsi: Licet hic (Nazarius) Mediolanensiū peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragij. Neque enim istius vrbis charitas proflua & fides auara tantum huic martyri derogauerit, dum sibi arrogat vt solùm erga menia sua patrocinij illius beneficia affutura esse crediderit. Non clauditur locis quod diffunditur meritis. Inuocasti vbiq; Martyrem, vbiq; te exaudit ille qui honoratur in martyre. Moderante itaq; eo qui pensat vota tua & dispēsat munera sua, intantū vicina p̄sentia efficacis p̄bebitur aduocati, inquātū fuerit fides deuota suscepti. Oratio enī quę castitatis, iustitiæ, eleemosynarū operib⁹ adiuuatur, excedit mundū, penetrat paradisum, euolat vsq; ad ipsum summæ maiestatis angelo conferente conspectum. Sicut quodam loco vox testatur angelica: Et cùm tu (inquit) orares, ego obtuli

Ephraē. Serm. de laudibus S. Martyrum.

Maxim⁹ episcopus Taurinensis.

Tob. 12.

orationem tuam in conſpectu claritatis Dei. Hæc
Fulgent. ille. Fulgentius ſermone de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: Venite virgines, inquit, ad virginem, venite concipientes ad cõcipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes iſtos curſus naturæ virgo Maria in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, Et ſic reſtauraret omne genus fœminarũ ad ſe venientiũ noua Eua ſeruando virginitatẽ, ſicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus
Gregor. Ieſus. Similiter Gregorius lib. 3. Dialogorũ cap. 24: Qua in re, inquit (hoc eſt, in apparitione B. Petri) q̃d idem B. Apoſtolus Petrus ſeruientibus ſibi voluit, niſi præſentiam ſui reſpectus oſtendere? Quia quicquid pro eius veneratione agerent, ipſe hoc pro mercede retributionis ſine intermiſsione ſemper
Idem. haberet. Et cap. ſequenti: Quædã puella, inquit, paralytica in Petri Eccleſia permanens manibus repebat, & diſſolutis renibus corpus per terram trahebat. Petijt autem diu ab eo vt ſanari mereretur, &
Serm. 66. in cantic. ſanata eſt. Hæc Gregorius. Bernardus, ſimilis in hac re omnibus reliquis, poſtquam dixit hæreticos ſui temporis, mortuos viuentium fraudare auxilijs, & viuentes ſanctorũ, qui deceſſerunt ſuffragijs ſpo-
Bernar. liare, ſic ſubdit: Viuẽtium preces & hoſtias, mortui, qui opus habebunt, & digni erunt, mediãtibus percipient angelis, & eorum qui iam peruenerunt, viuentibus ſolatia nequaq̃ deerũt per Deũ, qui vbiq; eſt, & in Deo nuſquã charitatis affectu abſentium.

Cap. 7. Poſtremò vniuerſalis ſynodus ſexta ſic dicit: Solo Deo creatore adorato, inuocet chriſtianus ſan-
Duæ vniuerſales Synodi. ctos, vt pro ſe intercedere apud maieſtatẽ diuinam dignentur. Hæc faciant quibus Baſilicæ locus eſt in Baſilica: qui verò in itinere, aut pro qualibet occa-

ſione

ſione in ſyluis aut agris eſt, vbicunque eum ipſa hora matutina vel veſpertina inuenerit. Item 7. Synodus: Cum Dei timore (inquit) omnia agamus, poſtulantes interceſsiones incontaminatæ Deiparæ & ſemper virginis dominę noſtrę Mariæ, item ſanctorum angelorum omniumque ſanctorum. Actione 6. in fine.

Sanctorum animas in cœlo cum Chriſto agentes, noſſe noſtras preces ad ſe directas. CAPVT XIII.

SEd contra hunc concordem patrum atque adeò ipſius eccleſiæ chriſtianæ conſenſum, obijciunt; Sanctorum animæ cum Chriſto agentes non nouerũt noſtras preces, igitur non ſunt inuocandæ. Obiectio aduerſariorum. Si firma eſt hæc conſequentia, cur non æquè iſta: Sanctorum animæ rectè inuocantur à fidelibus, ergo fidelium preces noſcunt. Reſpõſio. Antecedens ſuprà non tantùm per Auguſtinum, verum etiã per totius eccleſiæ conſenſum probauimus. Imò & eas audire noſtras preces, non vnus inter eos aſſeruit. Cæterùm videamus an ex ſcripturis id etiam queat deduci, ſanctorum animas noſſe preces ad ſe directas. Facilè autem id perſuaſerimus, ſi primũ oſtenderimus ex ſcripturis, eas ſuper homines hîc viuẽtes iam accepiſſe poteſtatem, præfecturam, & regimen. Quæ enim, niſi ridicula, eſt præfectura, poteſtas aut regimẽ eius, qui ſubditos ſuos eorumque negotia non nouerit? Sic autem ſcriptum eſt Apoc. 2. Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatẽ ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à patre meo. Hic Chriſtus pollicetur vincẽti falſam doctrinã & pſeuerãti in bono ad vitę finẽ vſque, poteſtatẽ ſuper gẽtes, qua eas regat in virga ferrea, & velut fictilia vaſa confringat, Qualem poteſtatem ſe accepiſſe dicit à patre ſuo. Quia verò Chriſtus hîc Pſalmum ſecundum allegat, ad eum recurramus, videamúſque quænam ſit iſta poteſtas.

Poſtula

Psalm.2. Postula (ait Pater ad filium) à me, & dabo tibi gētes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. En hîc dicitur, Christus dono patris, gentes suam hæreditatem, & possessionem, siue peculium pasturus, hoc est (vt rectè annotauit

In eum locum. Hilarius) pastoraliter recturus in virga firma, vel stabili sceptro, & eorū impietatem veluti fictile vas cōfracturus. Hoc & Apocalypsis 12. repetit Ioānes: verba secundi psalmi cum verbis Danielis in prima visione de Christo prophetātis, cōiungens: vt videlicet idē esse intelligamus illud: Recturus erat omnes gentes etc̄. cum eo quod habet Daniel: Omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Cap. 19. Apocalypsis eadem verba eiusdem psalmi cōiunguntur cum verbis Esaiæ ex cap. 63. desumptis; Vt illud regimen gentium intelligatur, quod Christus, dæmonibus superatis, & extinctis impijs, per suū sanguinem in pijs gentibus obtinet. Cum ergo & sanctis vincentibus profunditates Sathanæ malæq; doctrinæ, & perseuerantibus in Christi fide & pietate, tale regimen sit promissum, idq; tunc concedendum, quando gentes pastoraliter regi possunt, & eorum prauitas confringi, ante resurrectionem nimirum & extremum iudicium: Cum item eis sit promissum, quòd in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suę, sedebunt super sedes iudicantes duodecim tribus Israel: deniq;, quòd angelos & hunc mundum iudicabunt: mirum si nulla est eis iam cum Christo in cœlo agentibus potestas, iudicio misericordiæ nunc eos iudicandi, qui ad christianam regulam, vitam suā instituere cupiunt: cùm potestas eorū sit (iuxta verbum Christi) similis potestati ipsius Christi saluatoris, qui lōgè pronior est in iudiciū misericordiæ, quàm iustitiæ. Adde quòd (vt in scripturis exercitati nōrūt) iam animæ à cor-

pore

pore seiunctæ, tempore hoc intermedio, mercedem à iusto iudice Deo recipiant: quemadmodum ipse totus homo in die iudicij pro meritis suis est recepturus. Hinc anima immisericordis epulonis, iã in flamma cruciatur, tunc verò ipse totus in igne mittetur: Nunc animæ sanctorum requiescũt, quia eorũ opera sequuntur illos, tũc autẽ totus homo erit in requie: Nunc animæ sanctorum corpore solutæ præsentes sunt ad Dominũ & per fidẽ non ampliùs ambulãt, sed per speciẽ, & regnant cũ Christo mille annis: tũc autẽ totus homo videbit eũ & regnabit. Tunc qui inuenientur ædificasse ligna, fœnũ, stipulam super fundamentũ Christũ, salui erunt, detrimentum tamen passuri per ignẽ: nunc animæ eorũ simile detrimẽtũ patiuntur. Igitur cũ similiter promittatur sanctis in extremo iudicio potestas iudiciaria, & regimẽ, quòdq; super omnia bona Domini constituentur: consequens est, vt & nunc eã habeãt, & exerceant aliquousq;, animæ eorum. Vnde rectè Ambros. Ciuitates (inquit) decem esse quę possunt, nisi fortè animæ, quibus iure præponitur qui pecuniã Domini, & illa eloquia casta probata sicut argẽtum mẽtibus hominũ fœnerauit? Nã sicut Hierusalẽ dicitur ædificata sicut ciuitas, ita sunt animę pacificæ. Et sicut angeli præsunt, ita & hi qui vitã meruerint angelorũ. Hæc ille. Et Arethas in eadẽ verba Apocalypsis: His, inquit, qui ob simplicitatẽ sunt expertes pugnæ, satis erit obseruatio pręceptorum, vt mihi placeãt: Ei verò qui ex pugna & lucta pręmiũ retulerit, dabo ad triumphũ victoriæ potestatẽ super gentes: Siue, quemadmodũ ait Dñs in euãgelijs illi qui mnas & talenta rectè dispẽsauerat, Præsis decẽ ciuitatibus, & alij, quinq; ciuitatibus: quendã enim principatũ ac potestatẽ hæc significãt sanctis datã super infirmiores & eos quib⁹ dirigi opus est. Ideo quoq; scriptum est: Virga directionis virga regni

Lib. 8. in Lucã cap. vltimo.

regni tui. Solet enim quod dictum est, per virgam directionis designari velut indicando quòd punitiuam correctionem non inducat, sed quæ emendet. Ad hæc, in præfatione missæ de Apostolis (quam reperit Gelasius inter antiquas missæ præfationes) confitemur sanctorum animas, etiam iam regimen in homines habere. Sic enim ibi dicimus: Æquum est & salutare, te Domine suppliciter exorare, vt gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias: vt eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores. Leo quoque sermone 1. de anniuersario pontificatus sui: Nec abest (ait) vt confido ab hoc cœtu etiam beatissimi Apostoli Petri pia dignatio, & fida dilectio: Nec vestram deuotionem ille deseruit, cuius nos reuerentia congregauit. De vestro quoque & ipse gaudet affectu, & in consortibus honoris sui obseruantiam dominicæ cōstitutionis amplectitur, probans ordinatissimā totius ecclesiæ charitatem, quæ in Petri sede Petrum suscipit, & à tanti amore pastoris nec in persona tam imparis tepescit hæredis. Et in ser. 2. Petrus (inquit) nunc plenius & potētius ea quæ sibi commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum atque curarum, in ipso per quem est glorificatus, exequitur: Si quid itaque à nobis rectè agitur, rectèque discernitur, si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cuius in sede sua viuit potestas, & excellit authoritas. Rursum ser. 3. Quanuis (inquit) in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Christus. Et infrà: Si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur rectèque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu conuersus

De cōsec. dist. 1. cap. Inuenimus.

Leo papa

Idem.

Idem.

uersus confirma fratres tuos, & cui post resurrectionem suã Dominus, ad trinam æterni amoris professionẽ, mystica insinuatione ter dixit: Pasce oues meas. Quod nunc quoq; procul dubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans vt nulla tentatione superemur. Si autẽ hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbiq; prætendit, quãto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impẽdere, apud quos in sacro beatæ dormitionis thoro, eadem qua præsedit carne, requiescit? Deniq;, in sermone de Petro & Paulo: Sicut, inquit, nos experti sumus, & nostri probauêre maiores, credimus atq; cõfidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos: vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tãtum apostolicis meritis erigamur, per Dominum nostrum Iesum Christum. Idem.

Ecce expertus erat Leo quam curam Romanorum gererent Apostoli, quando ipse supplex Athilę regi Hunorum factus, placauit barbarum, non tam oratione, quàm per dextra leuáq; cõspicuè sibi astãtes Petrum & Paulum, minantes Athilæ mortem, nisi dictis põtificis paruisset: vt ipsemet Athila suis postea retulit, teste Eutropio. Idipsum experti sunt etiam gentiles Romani (quam nimirum curam ad se confugientium gererent apostoli & martyres) dum in illa memorabili vrbis per Gothos & Alaricum regem euersione, illis omnibus pepercerunt crudeles barbari, qui ad loca martyrum, & basilicas apostolorum se cõtulerant: Quemadmodum narrat D. Augus.1. de ciuit. Dei cap.1. Ad eundem modum Fœlix confessor suis Nolanis, cùm à barbaris Nola oppugnaretur, non solùm beneficijs, quę multa eis conferebat, sed etiam conspectui eorum se obijciens,

Aug. li. de cura pro mortuis cap.16

obijciens, veluti defensor eorundem & propugnator, astitit. Vnde de eo, veluti Nolanorum custode atque patrono, hos versus scripsit Paulinus Nolanus ad Cytherium: ei narrans vt per eum quidam Martinianus à graui periculo euasisset:

In ora lapsus ora non lædit sua,
In saxa fusus & rubos,
Nec sente vultum nec lapide artus contudit
Felicis exceptus manu:
Qui iam propinquantem ædibus fratrem suis
Non passus occursu mali
Suis periculum in finibus capessere,
Hostem remouit inuidum:
Et hunc fidelis compotem voti, suis
Confessor induxit locis.
Nostrisque iuxtà sedibus gratum intulit.
Felix patronus hospitem.

Et similiter Maximus episcopus Taurinensis, de martyribus Tauricis loquens: Cum omniū (inquit) sanctorū martyrum, fratres, deuotissimè natalem celebrare debemus, tum præcipuè eorum solēnitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domicilijs proprium sanguinem fuderunt. Nam licet vniuersi sancti vbique sint, & omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulêre pro nobis. Et paulò pòst: Cum martyres (inquit) deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuāt, isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: Hîc, ne peccatorum nos labes assumat, ibi, ne inferni horror inuadat. Nam ideò hoc à maioribus pro-

De Octauio, Aduentitio, & Solutore.

bus pro-

bus prouisum est vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat, Dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes euadimus inferni tenebras: eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate. Sic & Basilius homil. 20. de 40. martyribus: Hi sunt (inquit) qui nostram obtinentes regionem, quasi quædam turres contra aduersariorum incursum, refugium exhibent. Nec vno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt. Similia antè ex Prudentio citauimus. Ex quibus omnibus clarum euadit, sanctorum apostolorum & martyrum animas, nostri curam gerere, & super nos potestatem & regimen habere, ac insuper eas preces nostras nosse. Sed obijciunt nobis verba Augustini ex libro de cura pro mortuis. Atqui vtinam ipsi doctrinã Augustini vel eo vno libro pro sanctorum inuocatione traditam, recipere dignarentur. Inde enim discere possent tam certum fuisse Augustino rectè inuocari sanctos cum Christo agentes, vt ipse hoc velut fundamento constituto, progressus sit ad explicandum (quod velut obscurum inuestigabatur): An prosit cuique post mortem, quòd corpus eius apud sancti alicuius memoriam sepeliatur: vt suprà recensuimus. Ad hæc in Psalmum 80. scribens, audacter dicit populo suo: sanctorum animas gaudere, cum christiani sobriè & piè colunt eorum natalitia. Quid igitur ad ea quæ ex libro de cura pro mortuis gerenda citantur, respondebimus? Nempe eo libro disputare Augustinum, An aliquid intersit ad miseriam vel augendam vel inferendam post hanc vitam, spiritibus hominum, si corpora eorum sepulta non fuerint, vel etiam dilaniata à feris. Demonstrat autem quòd nihil omnino intersit,

Basilius.

Obiectio ex Augus.

Cap. 7.

intersit, eò quòd hæc non perueniant ad sensum ipsius spirit⁹, qui rebus humanis ampliùs nõ interest: Nihil item huic cõtrariari, quòd interdum in somnijs videantur mortui petere sepulturam: quia hæc per angelos fieri possunt, ipsis mortuis nescientibus. Vt volet, inquit, accipiat quisq; quod dicam: Si rebus viuentium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos quando eas videmus alloquerentur in somnis, vt de alijs taceam, meipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra mariq; secuta est vt mecum viueret. Absit enim vt facta sit vita fœliciore crudelis, vsq; adeò vt quando aliquid angit cor meum, me tristem filium non consoletur, quem dilexit vnicè, quem nũquam voluit mœstum videre. Sed profectò quod sacer Psalmus personat verum est: Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerũt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alij mortuorũ qui nouerũt quid agamus, quidve patiamur? Esaias propheta dicit: Tu es enim pater noster, quia Abraham nos nesciuit, & Israel non cognouit nos. Si tanti patriarchæ quid erga populum ex his procreatum ageretur ignorauerunt, quibus Deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est, quomodo mortui viuorum rebus atq; actibus cognoscendis adiuuandisq; miscentur? Quomodo dicimus eis fuisse consultum, qui obierunt antequam venirent mala quę illorum obitum consecuta sunt, si & post mortem sentiunt quæcunq; in vitę humanę calamitate contingunt? An fortè nos errando ista dicimus? & hos putamus quietos, quos inquieta vita viuorum solicitat? Quid est quod pijssimo regi Iosię pro magno beneficio promisit deus, quòd esset antè moriturus ne videret mala, quæ ventura illi loco & populo minaba-

Li. de cura p mortuis ca. 13.

Psal. 26.

Esa. 63.

minabatur? Quæ Dei verba ſunt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Verba mea quæ audiſti, & veritus es à facie mea cum audiſti quæ locutus ſum de iſto loco & qui commorantur in eo, vt deſeratur & in maledicto ſit, & conſcidiſti veſtimenta tua & fleuiſti in conſpectu meo: Et ego audiui, dixit Dominus Deus ſabaoth, Non ſic: Ecce ego apponã te ad patres tuos, & apponeris cum pace: & non videbunt oculi tui omnia mala quæ ego induco in locũ hunc & qui commorãtur in eo. Territus iſte Dei comminationibus fleuerat & ſua veſtimenta conſciderat, & fit omnium malorum futurorum de properatura morte ſecurus. Ibi ergo ſunt ſpiritus defunctorum vbi non vident quæcunque aguntur aut eueniunt in iſta vita hominum. Quomodo ergo vidẽt tumulos ſuos aut corpora ſua, vtrum abiecta iaceant an ſepulta? Quomodo interſunt miſeriæ viuorum, cùm vel ſua ipſa mala patiantur ſi talia merita contraxerunt: vel in pace requieſcant, ſicut huic Ioſiæ promiſſum eſt, Vbi mala vlla nec patiendo nec compatiendo ſuſtineant, liberati ab omnibus malis, quæ patiendo & compatiendo cùm hîc viuerent ſuſtinebant? Ecce ſentẽtiam habes Auguſtini. Toto hoc capite nihil aliud agit, quàm ſpiritus defunctorum non intereſſe rebus viuentium, non nos alloqui in ſomnis, non venire ad conſolandum nos more adhuc hîc viuentium, Non intereſſe rebus & curis noſtris, non miſceri actibus & rebus viuorum adiuuandis, nõ ſolicitari veluti inquieti eſſent inquieta vita noſtra, non intereſſe miſeriæ viuorum: ac proinde non noſſe quid agamus, ea notitia quæ localem præſentiam & intuitum ſequitur, quæ miſeriam & compaſsionem affert: Ita vt toto hoc capite abſolutè nõ neget mortuos noſſe res viuentium, niſi adiiciat aliquid vnde conſtet eum loqui de notitia quam nobis per præſentiam noſtram comparamus. 4. Reg. 22

mus. Si(inquit)parētes nō intersunt, qui sunt mortuorū qui nouerūt quid agamus quidve patiamur? Iterū: Quomodo mortui viuorū rebus atq; actibus cognoscendis adiuuādisq; miscentur? Eum esse sensum verborum eius, apertè conuincunt quæ cap. 15. sequūtur. Fatendum est(inquit)nescire quidē mortuos quid hîc agatur, sed dū hîc agitur: posteà verò audire ab eis qui hinc ad eos moriēdo pergūt. Non quidē omnia, sed quæ sinuntur indicare qui sinuntur etiam ista meminisse, & quę illos quibus hęc indicant, oportet audire. Possunt & ab angelis, qui rebus quę agūtur hîc pręsto sunt, audire aliquid mortui, quod vnumquenq; illorum audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt. Nisi enim essent angeli qui possunt interesse & viuorū & mortuorum

Luc. 16. locis: non dixisset dominus Iesus: Contigit autem mori inopem illum & ferri ab angelis in sinū Abrahę. Nunc ergo hîc, nunc ibi esse potuerunt, qui hinc illuc, quē Deus voluit, abstulerūt. Ecce quomodo & in spiritibus defunctorū, & angelis semper attendit pręsentiam localem, qua rerū sibi quisq; cōparat notitiam. Attende prętereà quę ibidem subdit. Possunt(inquit)spiritus mortuorū aliqua quæ hîc agūtur, quę necessariū est eos nosse, & necessariū nō est eos non nosse, non solū pręterita vel præsentia, verū etiā futura, spiritu Dei reuelāte cognoscere: sicut non omnes homines, sed prophetæ dū hic viuerēt, cognoscebant: Nec ipsi omnia, sed quæ illis esse reuelanda Dei prouidētia iudicârat. Hęc Aug. Hîc ponit notitiā quæ localē præsentiam nō requirit, deq; illa nullā quæstionem mouet. Ac deinde rursus ad præsentiā localem redit: dicitq; mortuos nonnunq̄ mitti ad viuos: sicut Moyses viuentibus apparuit. Post quæ sic cap. 16. dicit: Hinc & illa soluitur quæstio, quonā modo martyres ipsis beneficijs, quæ dātur orantibus, indicāt se interesse rebus humanis, si

nesciunt

nesciunt mortui quid agāt viui? Non enim solis beneficiorū effectibus, verū etiā ipsis hominū aspectibus confessorem apparuisse Felicē, cuius inquilinatum piè diligis, cum à barbaris Nola oppugnaretur audiuimus, nō incertis rumoribus, sed testibus certis. Verū ista diuinitus exhibētur, longè aliter quàm sese habet vsitatus ordo singulis creaturarū generibus attributus. Non enim quia in vinū aqua cū voluit Dn̄s, repētè cōuersa est, ideò nō debemus quid aqua valeat in elemētorū ordine proprio ab istius diuini operis raritate vel potiùs singularitate discernere: Nec quoniā Lazarus resurrexit, ideò mortuus omnis quādo vult surgit, aut eo modo exanimis à viuēte quomodo à vigilāte dormiēs excitatur. Alij itaq; sunt humanarū limites rerū, alia diuinarū signa virtutū: alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiūt: quāuis & naturę Deus assit vt sit, & miraculis natura nō desit. Non igitur ideo putandū est viuorū rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniā quibusdam sanandis vel adiuuandis martyres assunt, sed ideò potius intelligēdū est quòd per diuinā potentiā martyres viuorū rebus intersunt, quoniā defuncti per naturā propriam viuorum rebus interesse non possunt. Ecce, verba clara sunt, quibus hîc aperit Augustinus, per diuinam potentiam martyres rebus interesse humanis. Omnia itaque quæ ex capite 13. paulò ante sunt adducta, eo sunt referenda, vt mortui intelligantur per naturam propriam non posse interesse rebus viuentium. Subdit deinde aliud dubium: non quidem de hac notitia quam ex diuino munere habent martyres: sed quomodo fiat opitulatio quam mortalibus præstant martyres. Quanquam (inquit) ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres his quos certum est per eos adiuuari: Vtrum ipsi per seipsos

Nota.

afsint vno tempore tam diuerfis locis & tanta inter fe longinquitate difcretis,fiue vbi funt eorum memoriæ,fiue præter fuas memorias vbicunq; adeffe fentiuntur: An ipfis in loco fuis meritis congruo ab omni mortalium conuerfatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia fupplicantum, ficut nos oramus pro mortuis quibus vtiq; non præfentamur, nec vbi fint vel quid agant fcimus, Deus omnipotens qui eft vbique præfens, nec concretus nobis nec remotus à nobis, exaudiens martyrum preces per angelica minifteria vfquequàque diffufa,præbeat hominibus ifta folatia. Et infrà: Res hæc (ait) altior eft quàm vt à me pofsit attingi, & abftrufior quàm vt à me valeat perfcrutari: Et ideo quid horum duorum fit, An verò fortafsis vtrumque fit,vt aliquando ifta fiant per ipfam prçfentiam martyrum,aliquando per angelos fufcipientes perfonam martyrum: definire non audeo. En hîc vides dubium Auguftino fuiffe tantùm, An martyres præfentes exhibeant miferis beneficia, An verò angeli eorum perfonam gerentes, martyribus interim ab omni mortalium confortio remotis,& tamen orantibus generaliter pro indigentia fupplicantium:quemadmodum nos pro mortuis oramus,quibus non præfentamur,ac ideò nec quid agant citra Dei reuelationem nouimus. Nam propriè toto libro differit de notitia quç prçfentiam loci fequitur: qualem non nifi generalem habent fancti de fibi fupplicãtibus, vti nos de mortuis.De notitia verò, quæ vel fpeciali Dei reuelatione,vel ex ipfius Dei intuitu habetur,nihil difputat. Vnde 17. capite. Illis (inquit) in fumma quiete pofitis, & ad alia longè meliora vifa vacantibus feorfim à nobis etc. Nota quid fit:feorfim à nobis. Certè fi diuus Auguftinus de ea fanctorum notitia quæ ex Dei fpeciali munere habetur, loqueretur, puta-

Nota.

putarétque incertum esse, an sancti Deo largiente nossent preces ad se fusas, æquè etiam moueret hoc dubium: An rectè inuocaremus sanctos cum Christo agentes, nec ne: quemadmodum illud: An sancti per seipsos diuersis locis opitulentur eorum patrocinia quærentibus, an verò eorum personam gerentes angeli id faciant: Item an nūc hi, nunc illi. Et si vel in modico dubitasset recténe sanctos inuocaremus, profectò non eodem libro ita citò tanquam certum pronunciasset, defuncti animam martyribus esse commendandam, vt apud Dominum ab eis velut patronis adiuuetur. Eum ergo certò pronunciantem, in Deo manentes posse audire preces nostras, audiamus: Quisquis angelorum vel hominum diligit hunc Deum, certus sum quòd etiā me diligit: quisquis in illo manet & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit: quisquis ipsum habet bonū suū, in ipso me adiuuat, nec mihi eius participationem potest inuidere. Quod vtiq; non dixit quasi dubitaret an quis posset humanas preces sentire: sicut nec cum ibidem dicit: Quisquis angelorum hunc diligit Deum, dubitasse putandus est, an angeli Deum diligerent. Quod verò dicit: In illo me adiuuat, &: In illo me exaudit: non sic intelligendum est ac si ipse sanctus, vel angelus non adiuuet, vel non exaudiat (vt nugatur Monhemij defensor): sed quòd per Deū, seu munere & gratia Dei adiuuet atque exaudiat. Pulchrè Origenes contra Celsum, similem Augustini de sanctis angelis & animabus sententiam profert: Quemadmodum (inquiens) & corpus cum mouetur & vmbram habet se subsequētem, sic item & qui summum Deum placârit, & illius amicos propitios vt habeat, sequitur: angelos scilicet animásque & spiritus cæteros beatiores. quippe qui simul & sentiant quinam Dei sint benignitatem promeriti. Nec solum se hi erga

Ca. 55. de vera relig.

Lib. 8. sub finem.

digniores quosq; propitios reddũt, sed & Deo gratificari volentibus opitulantur, hísque & placatiorem hunc faciunt, vnàq; & supplicant & precantur. Et ita vt affirmare id ausim, vel hominibus vltro quæ potiora sunt animo destinantibus Deóq; supplicantibus, potestates illas innumeras, nec vocatas quidem, vltro Deum vnà comprecari, generíq; huic nostro adesse, & cum dæmonibus, vt ita dixerim, vel certamen inire, quos viderint eorum impugnare salutem qui se Deo permiserunt. Sicut verò his verbis Origenes asserit adiutorium sanctarum animarum, quod per orationes pro nobis fusas præstant: ita in caput secũdum epistolæ ad Romanos velut dubitans loquitur, An sanctorum animæ opitulentur nobis, angelorum more, non orationes tantùm, sed & ministeriũ atq; operam suam nobis exhibendo. Iam verò, inquit, si etiam extra corpus positi vel sancti qui cum Christo sunt, agũt aliquid, & laborant pro nobis ad similitudinem angelorum qui salutis nostræ ministeria procurãt, vel rursum peccatores etiam ipsi extra corpus positi agunt aliquid secundum propositum mentis suæ, angelorũ nihilominus ad similitudinẽ sinistrorum, cum quibus & in æternum ignem mittendi dicuntur à Christo, habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ cõmittenda mysteria. Nullo verò modo dubitat de precibus sanctorum extra corpus: vt nugatur Brẽtius. Gregorij quoq; verba huc proferenda sunt, vt quæ Augustini sententiam in lib. de cura pro mortuis, breuiter explicant. Sicut (inquit) hi, qui adhuc viuentes sunt, mortuorũ animæ quo loco habeantur ignorant, Ita mortui vitam in carne viuentium post eos, qualiter disponatur nesciunt: quia & vita spiritus longè est à vita carnis, & sicut corporea atq; incorporea diuersa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de ani-

Lib. 12. moraliũ cap. 13.

de animabus sanctis sentiendum non est, quia quæ intus omnipotentis Dei claritatẽ vident, nullo modo credendum est quia foris sit aliquid quod ignorent. Quæ postrema verba non de omnibus intelligit Gregorius (siquidẽ alibi docet vnum angelum ab altero aliquid discere) sed de his quæ ad illorum gloriam faciunt, nostramq́ salutem promouent: cuiusmodi sunt, nostra pœnitentia & oratio. Lib.4. moraliũ cap.31.

Hactenus igitur germanam diui Augustini sententiam omnino alijs veteribus esse consonam probauimus: simulq́ ostẽdimus quomodo illud Esaię: Abraham nesciuit nos, Israel ignorauit nos, etc. de ea notitia quæ humanam conuersationem consequitur, exposuerit. Quem locũ diuus Hieronymus de notitia dilectionis est interpretatus, nec minus apposite: Nescit, inquiens, nos Abraham, & ignorat Israel, quia te offendimus, nec cognoscunt filios quos à Deo suo intelligunt non amari. Nunc quia tantopere vrgent aduersarij hanc consequentiam: Sancti preces nostras non cognoscunt, igitur à nobis non sunt inuocandi, expendamus quàm valida sit: nihil interim dubitantes, quin quod ex veteribus iam ostẽdimus, sentiendum sit. Esto, non nôrint sanctorũ animæ nostras preces, sed angeli qui sanctorum martyrum personam gerunt: Non auxilientur insuper ipsi, sed angeli meritis & precibus eorum: an idcirco (hac scilicet hypothesi concessa) stultum erit orare: sancte Petre ora pro me? Nequaquam. Etsi enim Petrus non audiret, est nihilominus qui audit vice eius, quique personam eius sustinet: Sicut stultæ non sunt illæ supplicationes, quæ regi offeruntur, etiamsi non ad ipsum regem, sed ad præsidem duntaxat regia negotia legitimè pertractantem, peruenturæ sciantur: Sicut item stultus non erat Moyses quòd angelo in igne de rubo apparenti loqueretur veluti Exod.3.

Deo. (Nam non Deum, ſed angelum fuiſſe, teſtis eſt
Act.7. Stephanus apud Lucam,) Quemadmodum nec ipſe
Exod.3. angelus blaſphemabat Deum, dum diceret: Ego
ſum Deus Abraham: idq́ propterea, quòd perſo-
Geneſ.18 nam Dei ſuſtinebat, Sicut inſuper nec pater noſter
Abraham fatuus fuit, cùm angelis, veluti Deo, lo-
cutus eſt: quia ex Dei authoritate loquebantur, &
ipſe Deũ in illis venerabatur, Sicut deniq́ nec Ra-
Tob.5. phael male locutus eſt apud Tobiam, dicendo ſeſe
Azariam Ananiæ magni filium, Quia huius viri
perſonam gerebat, & eius fortaſſe meritis Tobiam
iuuabat. Si his locutionibus adeò abundat ſcriptu-
ra, quid vetat quo minus & nos ijs rectiſsimè in
cæremonijs eccleſiæ vtamur? Cæterùm etiamſi
hanc hypotheſim, nempe quòd preces noſtras ne-
ſciant ſancti, admitteremus: nondum metuendum
eſſet ne iam aduerſarij ita catholicis, ſicut Helias
4. Reg.18 olim ſacerdotibus Baal, inſultent. Nam ſicut ſi ſa-
cerdotes Baal quod à Baal petebant, à Beelzebub
vel quouis alio dæmone quàm Baal conſequi po-
tuiſſent, ridiculè inſultaſſet eis Helias: ita etiam ſi
quod à ſanctis petitur, angelico id miniſterio ob-
tineatur, non erit cur nobis inuocantibus ſanctos,
inſultent aduerſarij. Hæc eò dicta ſint, vt oſten-
dantur confidere in baculo arundineo, qui hîc pe-
tulanter Chriſti Eccleſiæ recalcitrant. Non quòd
iſtis ſubtilibus expoſitionibus ſermonum, ad ca-
tholicæ fidei, quæ ſimplex eſt & plana, defenſio-
nem, egeamus.

Sanctorum animas cum Chriſto agentes, propriè orare pro nobis. CAPVT XIIII.

AD Mōhemiũ ergo ſermonē reducam'. Dicit pater: *Angeli orãt pro nobis. Vt apud vatē angelus orat: Dñe exercituũ, vſq́quo tu nō miſereberis Hieruſalem*

rusalem? Sic sine dubio et sancti in cœlis pro Ecclesia orant. Hæc ita esse nos catholici nõ dubitamus. Quid verò ita interrogāti Patri filius respõdet? *Fieri*, inquit, *potest, Verum ex eo non sequitur, quod sint inuocandi, Cùm scriptura nusquam doceat sanctorum inuocationem, seu implorare ab ipsis auxilium.* Cur quæso Monhemi, vel compulsus à veritate non fateris, sanctos cũ Christo agentes orare pro nobis? Prophetam agnoscis dicere, angelos orare pro nobis. Nec metuis ne angeli inuadant mediatoris Christi officium. Dic ergo quid impediat, quominus & animæ iustorũ iam in cœlis regnantes pro nobis orẽt? An charitas eorum erga nos extincta est? absit. An beatitudo eos impedit? Sed & ipse Christus summè beatus, interpellat nunc pro nobis (si Paulo credimus): sicut & hîc orabat. Item angeli beati precantur pro nobis. Vnde Hieronymus. Si, inquit, Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti orãt pro cæteris quãdo pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas, victorias & triũphos? Vnus homo Moyses sexcentis milibus armatorum impetrat à Deo veniam, Et Stephanus imitator Domini sui & primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebũt? Paulus Apost. ducẽtas sexagintasex animas sibi dicit in naui condonatas. Et postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro his qui in toto orbe ad suum euangelium crediderunt mutire non poterit? Animæ sanctorum petunt vindictam à Deo contra eos qui sanguinem suum effuderunt, quanto magis misericordiam fratribus suis à Deo electis. Immisericors ille epulo quacunque ratione inductus orauit pro fratribus suis ne venirent in locum illum tormentorum: (certum enim est, diuitẽ epulonem rogasse Abrahã & illos duos sese mutuò cognouisse) sicut

Zacha. 1.
Hebr. 7.
Cõtra Vigilantiũ.
Exod. 32.
Act. 7.
Act. 27.
Apoc. 6.
Luc. 16.

Augustinus dicit lib. 4. de origine animæ cap.19.) quanquàm alia plæraqꝫ in ea historia sint obscura: quo prætextu quæ aperta in ea sunt, conatur Artopæus eludere) & sanctorum animæ diuina sapientia & syncera charitate plenæ, non orant pro Christi
1.Mac.15. membris ne veniant in illas flammas? Credendũ est ergo scripturæ, docenti fide digno visu apparuisse Oniam & Hieremiam orantes pro populo Dei. Cy-
Epist.1. prianus martyr solicitè admonet Cornelium item Martyrem, vt vterlibet eorũ prior ad dominũ migrauerit, apud Dei misericordiam pro fratribus & sororibus orare non cesset. Puerile verò est cum Brentio dicere hîc tropos esse, atqꝫ figuras; vt videlicet ea ratione dicantur sancti nunc orare, quòd preces quas adhuc mortales fuderãt, nunc adhuc in auribus Dei sonent: Sicut & sanguis Abel multo pòst mortem Abel corã Deo adhuc vociferabatur: vel vt in Apocalypsi clamant animæ sanctorum interfectorum, quò effusi sanguinis sui fiat vltio, non quòd iam in Domino quiescentes cupidi sint vindictæ pro humano more, sed quòd Dñs, etiam post mortẽ eorũ, memor sit precũ quas dũ adhuc in terris versarentur, pro sua ac totius Ecclesiæ liberatione effuderunt. Planè fallitur Brentius. Nam iuxta hanc rationẽ orandi, sequitur quòd etiã si penitus interirent animę sanctorũ vsqꝫ ad resurrectionem, rectè dicerentur clamare. At cùm scriptura testetur eos viuere, viuã certè & recentem habẽt orationẽ. Deinde clamor diuitis epulonis, nõ huius vitæ fuit. Qua igitur ratione clamor sanctorũ tantùm huius vitæ erit. Veriùs igitur Ambrosius: Non me-
Lib. 2. de Cain & Abel, ca.9 diocre, inquit, etiã dogma quod ait: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat, qa Deus iustos audit, etiã mortuos, quoniã Deo viuunt. Et meritò pro viuentibus habẽtur, Quia etiãsi corporis gustauerint mortẽ, vitã tamẽ ĩcorporeã capiũt, & illuminãtur suorũ splendore

ſplendore meritorum, luce quoq; fruuntur æterna. Et Beda: (ad illud Apocalypſis: Et clamabant voce magna, dicẽtes) Magn⁹, inq̃t, animarũ clamor, magnũ eſt deſideriũ eorũ quę Dominũ facere velle nouerũt. Nec enim fas eſt, eas credere cõtra Dei nutũ quicq̃ cupere, cũ earũ deſideria ex eius pendeãt voluntate. Vſquequo dñe, ſanctus & verus, nõ iudicas & vindicas ſanguinem noſtrũ de ĳs qui habitant in terra? Non hæc odio inimicorũ pro q̃bus in hoc ſeculo rogauerũt, orãt, ſed amore æquitatis, qua ipſi iudici vt propè poſiti cõcordãt, diẽ iudicĳ quo peccati regnũ deſtruatur, & reſurrectionẽ extinctorum corporũ aduenire precãtur. Nam & nos in pręſenti, cũ pro inimicis orare iubeamur, dicimus tamen Dño orãtes: Adueniat regnũ tuũ. Et datæ ſunt illis ſingulę ſtolę albæ. Singulas modo ſtolas habẽt aĩæ ſanctorũ de ſua beata immortalitate gaudẽtes. Reſurgẽtibus autẽ corporib⁹, iuxta Eſaiã, in terra ſua duplicia poſsidebũt. Hęc Beda. Quẽadmodũ igitur Chriſtus adhuc ꝓ nobis interpellat ſeu poſtulat, ita & oẽs Martyres cũ eo in cœlis degẽtes: vt Auguſtinus teſtatur in Pſalmũ 85. Neq; enim vel Chriſtus ſecundũ humanã naturã potẽs eſt peccatores conuertere, aut Deo ſeruiẽtes beare, aut mortuos ſuſcitare, deſiderat tamen ea fieri per Deũ, ac ideo, quia hoc ſuũ deſideriũ ei offert, veriſsimè orare dicitur. quandoquidẽ nihil aliud eſt Deũ orare q̃ deſideriũ propriũ ei offerre, quò ipſe illud dignetur implere.

Lib. 1. in Apocal. cap. 6.

Apoc. 6.

Chriſtum propriè orare pro nobis. *CAP. XV.*

At contra prędicta obĳcit Artopęus: *Patri non fit ſupplex Chriſtus: quod ex Chryſoſtomo didiciſſe poterant. Sed eius interpellatio nihil aliud eſt quàm quòd patri ſemper adeſt, eiuſque præſentia qui pro nobis in mortem traditus eſt, Dei miſericordiam* erga

Obiectio. Hom. 15. in epiſtol. ad Rom.

erga electos elicit promptissimè.

Respōsio. Respondeo, Christum quidem iam non supplicantium seruorum more, ante patris pedes prouolui, eius genibus accidere (vt ait Nazianzenus lib. 4. de Theologia), aut facere verba pro nobis, interposito interuallo inter os loquentis, & auriculas audientis (vt ait Augustinus tract. 102. in Ioannem): hæc enim & Deo indigna sunt, & Christum glorificatum non decent: Nihilominus Christus patri subiectus est & introiuit in cœlum, tanquam pontifex in sancta sanctorum, per proprium sanguinem, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Appareat, inquam, non veluti truncus aut mortua imago, sed per mentē & voluntatē, idipsum à Deo petēs quod ipsa sui corporis (in quo olim passus est) ostensione flagitat: Sicut milites multa vulnera in bello passi, regibus ostendūt ita corpus suum, vt mente postulent præmium. Ad quem sensum veteres, Paulum secuti, idem esse dicunt Christum pro nobis interpellare, & cum carne sua apparere vultui Dei pro nobis. Nazianzenus lib. 4. de theologia, tractans hæc verba: semper viuens in hoc vt intercedat pro nobis: Vt homo est (inquit) etiamnū pro salute nostra legationem obit, quando corpus quod assumpserat, & nunc habet. Obit, inquā, legationem, tantisper dum per hoc quòd ipse factus est homo, me Deum faciat: tametsi amplius secundum carnem nō cognoscatur. Similiter Cyrillus: Cōspicuum fit nouo modo, nō iam nudum & absque carne verbum, sicut scilicet à principio erat, sed in forma ac natura nostra. Dicimus enim sic ipsum nunc pro nobis apparere, & quasi ob oculos Dei ac patris, hominis naturam adduxisse: quamuis propter transgressionem Adæ factam olim deteriorem. Nos igitur commendat conspectui patris, quasi in seipso & primo, secundum quod natus est homo vt nos patri offerat, & ab

Gregori⁹ Nazianzenus.

Lib. 2. de recta fide ad reginas.

& ab antiquis liberet criminibus, inq; nouitatē vitæ in ſpiritum transferat,& poſtea vt dignus videri his qui à patre tanquā in filiorum ordine aſſumpti ſunt. Sic & Gregorius: Vnigenito filio pro homine interpellare, eſt apud coeternū patrē ſeipſum hominem demonſtrare: eiq; pro humana natura rogaſſe, eſt eandem naturam in diuinitatis ſuæ celſitudinem ſuſcepiſſe. Interpellat igitur Dominus pro nobis, nō voce (ſcilicet gemebūda) ſed miſeratione: quia quod damnari in electis noluit, ſuſcipiendo liberauit. Adiutor ergo quæritur vt deſiderium exaudiatur, Quia niſi pro nobis interpellatio mediatoris intercederet, ab aure Dei procul dubio noſtrarū precū voces ſilerent. Poſtremò, Theophilactus: Idipſum, inquit, ꝙ carne obductus filius aſsidet Patri, interceſsio quædam pro nobis petendi, tanquam caro ipſa patrem exoret, eoq; ſit hæc à filio ipſo deſumpta vt ſaluos nos faciat. Hæc ille. Ipſe prætereà Apoſtolus, dicit Chriſtum Apoſtolū eſſe, & pontificem confeſsionis noſtrę: & idcirco ad Romanos ipſe per eū gratias agit Deo. Quare verò pōtifex eſt cōfeſsiōis noſtrę, niſi ſicut ſynod⁹ Epheſina 1. dicit, quia ſacrificat Deo & patri fidei noſtræ confeſsionē, quæ à nobiſipſis & per ipſum ipſi Deo patri inceſſanter offertur? Igitur ſimiliter & preces noſtras Deo patri ſacrificat, Quemadmodum docet Cyrillus lib. citato. Iam, inquiens, quando pontifex noſter factus Chriſtus in dextera Dei, & thronum habet magnificentiæ in cœlis & ſanctorum eſt miniſter, & tabernaculi ſummi ac veri, ſibi ac patri offerens cultum ac preces omnium. Vnus igitur eſt Chriſtus & filius, ſedens quidem diuino modo in throno propriæ deitatis, appellatus autem & pontifex, & miniſter diſpenſatiuè, propter humanitatē. Item lib. 11. in Ioannem: Inquantum, inquit, filius & Deus eſt, vnà cum patre nobis bona largitur. quod oſten-

Li.22. moralium, cap.18.

In cap.1. ad Hebr.

Heb.5.

Cap.7.

Rom.1.

Rom.1. ostendens Paulus dicebat: Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino Iesu Christo. Inquantum verò mediator est, & pontifex, & paracletus, nostras preces ad patrem adducit. Ipse enim nobis libertatem atq; fiduciam ad patrem largitur. Sic deniq; &

Beda. Beda, in cap. 8. Apocalyp: De orationibus sanctorũ Christus obtulit incensa. Ipsi enim delegauit Eccle-

Psal.140. sia preces suas dicẽs: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Accepisse autem de orationibus sanctorũ, idẽ dicitur & obtulisse, quia per ipsum omnium possunt preces ad Deum suauiter peruenire. Hæc ille. Si igitur Christus nostram confessionem, preces, & cultum quem ei deferimus, Deo offert, quis audeat dubitare, quin Deo eadem etiam commendet? Hoc autem, est orare Deum pro nobis. Clarum igitur est Christum orare nunc pro nobis: vti quondam cum hîc mortalis ageret.

August. Quod incunctanter D. Augustinus multis in locis asserit. Explicans illud psalmi 19: Impleat Dominus omnes petitiones tuas: Impleat Dominus (inquit) non solùm petitiones quas habuisti in terra, sed etiam quibus in cœlo interpellas pro nobis. In psalmũ itẽ 29: Quoniam, inquit, paulò post dicit (S. Iohannes): Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: habes maiestatem ad quam ores, habes humanitatem quæ pro te oret. Nam hoc dictum est ab Apostolo, etiam post resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, Qui sedet, inquit, ad dexteram

Idem. Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Libro quoque primo de trinitate cap. 10: Fideles (ait) eius quos redemit sanguine suo, dicti sunt regnũ eius pro quibus nunc interpellat: tunc autem illic eos sibi faciens inhærere vbi æqualis est patri, non iam rogabit patrem pro eis. Ipse enim, inquit, pater amat vos.

Ioan.16. Ex hoc enim rogat quo minor est patre, quo verò æqualis est, exaudit cum patre. Rursus in psalmum

mum 85.ait: Oratur (scilicet Christus) in forma dei, orat in forma serui: ibi creator, hîc creatus, creaturam mutandam non mutandus assumens & secum nos faciens vnum hominem, caput & corpus. Oramus ergo ad illũ, per illum, in illo, & dicimns cum illo, & dicit nobiscum. Cum dicimus in illo, dicit in nobis psalmi huius orationem. Item sub finem eiusdem psalmi: Dominus noster Iesus Christus, inquit, adhuc interpellat pro nobis, Omnes martyres qui cum illo sunt interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum nisi cum transierit gemitus noster. Denique epistola 59: De ipso Domino Iesu Christo dictum est quod interpellat pro nobis. Nunquid interpellat & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est interpellat. Euidenter quippe alibi de eo dicitur: Et si quis peccauerit, aduocatum habemus ad patrem Iesum Christum iustum, ipse est exoratio pro peccatis nostris. Hactenus Augustinus. Cui correspondet Ambrosius, dicens: Orat Dominus non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit pater in potestate filij, filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Noli insidiatrices aperire aures vt putes filium quasi infirmum rogare, vt impleret quod implere non posſit. Potestatis author, obedientiæ magister, ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo. Aduocatum, inquit, habemus apud patrem. Si aduocatus est, debet pro meis intercedere peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Cyprianus: Si pro nobis ac pro delictis nostris Christus laborat & vigilat & precatur, quanto nos magis insistere precibus, & orare, & primò ipsum Dominum rogare, tum deinde per ipsum Deo patri satisfacere debemus?

1. Ioan. 2.

Lib. 5. in Lucã in cap. 6.

Epistolarũ lib. 4. epistol. 4.

Habemus

Habemus aduocatum & deprecatorem pro peccatis nostris Iesum Christum Dominum nostrum, si modo nos in prӕteritum peccasse pœniteat, & confitentes ac intelligentes delicta nostra, quibus nunc Deum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viјs eius & præcepta eius metuere spōdeamus. Hęc Cyprianus. Ad eundem modum scripsit, & sensit in hac re Chrysostomus (quicquid garriat Artopęus): vt suo loco ostendemus. Ante annos aliquot, Christum glorificatum non orare, astruere conatus est quidam: idq́ʒ argumentis tribus. Quorum primum

1. Obiectio.

est: Christo data est oīs potestas in cœlo & in terra, ergo non rogat nūc vt detur nobis spiritussanctus, sed data sibi potestate iam vtens dat spiritum sanctum. Cui argumento potest etiam aliud adіјci: Pater omne iudicium dedit filio, & constituit eum iudicem viuorum & mortuorū, sed non videtur conueniens vt vnus idem sit iudex & aduocatus, igitur Christus non videtur dicendus propriè aduocatus.

Respōsio.

Respondendum est, Christum quidem habere potestatem omnis carnis in cœlo & in terra, Necdum tamen omnia esse ei subiecta (sicut dicit Apostolus ad Hebræos), quantum ad executionem potestatis eius attinet. Vt igitur potestatem sibi datam circa salutem electorum, exequatur, patri supplicat. Cum autem ipse nouissimum hostem, nempe mortē, deuicerit, & subiecta fuerint ei omnia, tum tradet regnū, id est, fideles, Deo patri, perducens eos ad clarā Dei visionē: Nec amplius oratione opus erit, quia tunc in omnia potestatem sibi tributam exequetur Christus. Similiter, Christus secundum humanam naturam iudex est omnium, sed sub superiore iudice Deo: à cuius omnipotentia pendet omnis executio iudicіј, & sententiæ eius. Vnde mirum videri

In cap. 6. Lucæ.

non debet, eundem ipsum & iudicem esse hominū, & aduocatum apud superiorem iudicem. Et aduocatus

catus (inquit Ambrosius) & iudex est: In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. Secunda eius ratiocinatio est: Nemo catholicus inuocat Christum ad hoc vt iam roget patrẽ, ergo Christus non iam rogat patrem. Respondetur, catholicos vitare non tantùm falsa de Deo dogmata, sed etiam illas locutiones, quæ malè possent intelligi. Quapropter simpliciter non dicunt, Christum esse creaturam, sed cum hac adiectione, secundùm humanam naturã: ne quis in Arrianismum occasione sermonis incidat. Item nec: Christe ora pro nobis: nec cum Nestorio videantur facere duas personas, vnam filium Dei, alteràm filiũ Mariæ, qui apud filiũ Dei sacerdotio fungatur: Sed conuenientiùs dicũt: Christe eleyson: honorantes & orantes eum secundum id, quod in eo est excellentissimum, hoc est, secundum diuinitatem. Quemadmodum facere solemus cum hominẽ quempiã honorare volumus, In eo nimirum non infimum, sed supremum dignitatis eius prædicantes. Ridiculum enim esset, sacrarum literarum interpretem laudare ab eo quòd literas nouit, Alioqui certè etiã quod in Christo inferius minusq; excellens est, nẽpe q̃ precatur pro nobis, lubẽter agnoscere debem⁹: vti supra ex multis doctoribus ostensum est. Deniq;, etiamsi Christũ inuocare velimus secũdũ humanã naturã, profectò aliquid aliud est in eo eximiũ magis q̃ oratio: nẽpe quòd quicquid impetrat, ipso iudice & tanq̃ rege ordinante ad nos peruenit. Quamobrẽ dicendũ potiùs erit ei secundũ humanã naturã, vt misereatur nostri, suscipiat deprecationẽ nostrã & adiuuet nos, q̃ vt pro nobis preces fundat: Sicut fecisse illos legimus, qui eũ in hac vita pro sanitate precati sunt, dicentes: Miserere nostri fili Dauid, adiuua nos. Martha verò dixit ei, fratre mortuo: Sed & nunc scio quia quæcunque poposceris à Deo dabit tibi Deus.

2. argumẽtum.

Respõsio.

Luc. 8.
Marc. 9.
Ioan. 11.

Deus.quod idem est ac si dixisset: Ora Deum. Nec eam Christus velut male locutam arguit, imò verò vsqueadeò approbauit, vt cùm Lazarum suscitaret, gratias egerit Deo patri quòd orationem suam exaudisset. Patet igitur, si idem quoque faceremus, nil nos falsi de Christo dicturos: quamuis ob rationes nunc paulò antè præmissas non conueniat.

3. Ratiocinatio. Tertiò argumentatur: Christus dicit Ioannis 16. Non dico vobis quia ego rogabo patrē de vobis: ipse enim pater amat vos. Quod Hilarius tractans: Lib. 8. de trinit. Caret, inquit, intercessionis necessitate perfecta de filio fides. ergo iam non rogat ampliùs patrem pro iustis & electis. Respondeo Christum his verbis tantùm pronunciare, se non debere patrem rogare pro Apostolis credentibus & amantibus se, tanquā pro inimicis Dei patris, & velut à quibus pater alienatus esset: eo quòd Deus pater satis candidè afficitur erga eos, qui iam in Christum credunt, quibusq; est reconciliatus. In huiusmodi enim locum habet Rom. 5. illud Apost. ad Rom: Cùm adhuc peccatores essemus, secundū tempus pro nobis Christus mortuus est. Multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cū inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Nam vt hîc significat Apostolus faciliùs saluandos homines iam iustos quàm impios iustificandos: Ita etiam Christus verbis illis designat homines iam iustificatos, quatenus iusti sunt mediatore non egere, etsi alia ex parte egeant: qua nimirū adhuc & ab infirmitate sanandi, & à peccato redi- Ioan. 16. mendi sunt. Ratione prioris dicebat Apostolis suis, Non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis, etc̄ non ratione posterioris. Vnde Augustinus, ne hinc quis statueret Christum secundum humanam naturam non orare pro nobis, interpretatus est ea

ver-

verba de Christo secundùm diuinam naturam. Cyrillus in eundem locum scribens studiosè admonuit, ne quis ex illis verbis reputet se non egere Christo tanquam aduocato. Petere aliquid per orationem à patre (inquit) nullo modo permittit nisi in nomine suo: patremq́ facillimè daturum pollicetur, non solùm mediatione sui, sed vltro ad hoc pręparatum, quasi debitum redderet ijs qui Christũ peramant. Nec vllus putet propter tantam patris beneuolentiam non indigere nos Christo. Omnia enim per ipsum ex patre in spiritu sunt. Aduocatus enim est. Hæc Cyrillus. Possunt interim & secus intelligi dominica verba: Et non dico vobis quòd ego rogabo patrem de vobis, vt videlicet referatur ad tempus quo post resurrectionem vniuersalem plenum erit electorum omnium gaudiũ, nec ampliùs quicquam restabit desiderandum. Pręcessit enim: Petite & accipietis, vt gaudium vestrũ sit plenũ. Et post pauca: In illo die in nomine meo petetis. vbi repete ex præcedentibus: Et accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Ac deinde de tempore non petitionis, sed pleni gaudij per pręcedentes orationes in nomine Christi iam obtenti, subditur: Et non dico vobis quia ego rogabo patrem de vobis, Ipse enim pater amat vos, hoc est, perfectè amabit, cùm vos fecerit beatos, quia vos me amastis, in hac vita scilicet, seruantes præcepta mea, & credidistis quia à Deo exiui. Augustinus 10. cap. lib. 1. de trinitate, refert illud: Et nõ dico vobis quia rogabo patrem etc̃ ad tempus futuri seculi, quando Deus erit omnia in omnibus. Argumentatur alius ad confirmationem eiusdem sententiæ: Christi oratio, inquiens, quam Deo patri in hac vita obtulit, exaudita fuit, Igitur non est opus vt reiteretur iam in cœlo. Sic enim Apostolus ex eo quòd vna oblatio Christi consummauit in sempiternum

4. Ratiocinatio alterius. Hebr. 10.

sanctificatos, docet non amplius eam iterari: & eas oblationes quæ iteratæ sunt, ex ipsa sui iteratione fuisse inefficaces. Igitur si Christus nunc orat pro vnitate & sanctificatione fidelium, videtur, inquit ille, hocipsum frustra post cœnam petijsse, nec quicq̃ à patre tum impetrasse. Respondeo, In sacrificio, cuius virtute super hominũ peccatis placatur Deus, exoluitur precium pro peccatis: ac proinde si denuo hoc sacrificium repeteretur, satis liquidè appareret, non fuisse iustum precium antea exolutũ. At oratio Christi, precium non soluit, sed petit vt Deus id pręstet, quod Christ⁹ passione sua est promeritus. Ideoq́ apud Ioannem in oratione sua primùm commemorat precium persoluendum. Ego,
Ioan.17. inquit, pro eis sanctifico meipsum. Nunc verò apparet vultui Dei pro nobis, solutũ ostendens precium. Tamdiu ergo orat donec totum, quod sua est passione promeritus, acceperit. Quemadmodum operarius qui labore diurno aliquam summam pecuniæ est lucratus, iniquè cogeretur eundem laborem iterum subire, vt stipẽdium persoluti iam operis acciperet, Tamdiu tamen rectè instat pro mercede, quamdiu non totam accepit: & tamdiu potest manus exhibere apertas, quamdiu non fuerint omnes ei debiti nũmi numerati. Oratio verò sanctũq́ desideriũ simile est apertioni sinus vel man⁹, vt ait Augustinus in canonicam Ioannis, tract.4. Apostolus autem cap.10. ad Hebræos, cũ diceret: Vna oblatione consummauit inæternum sanctificatos, præmiserat: Hic vnam pro peccatis offerẽs hostiã, in sempiternum sedet in Dextera Dei, de cętero expectans, donec ponantur inimici eius scabellũ pedũ eius: confirmans nẽpe quod dicimus. A quo enim expectat Christus inimicorum subiectionem nisi à Deo? Id autem est orare: à Deo nimirum aliquid expectare, præsertim si hoc nostrum desiderium Deo

pate-

patefaciamus:quod Christum facere non dubiũ est. Cæterùm quid mirum, Christum nunc orare pro nobis,cum etiam post resurrectionem in euangelio dicat se ministraturum nobis secundum humanam naturam?Beati,inquit, sunt serui illi quos cum venerit Dominus,inuenerit vigilãtes.Amen dico vobis quòd præcinget se,& faciet illos discumbere,& transiens ministrabit illis. Quod in Apocalypsi explicans Ioannes: Agnus,inquit,qui in medio throni est,deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Sicut enim nunc(teste Augustino)tota redempta ciuitas, hoc est,cõgregatio societasque sanctorum,vniuersale sacrificium offertur Deo per sacerdotem magnum, dum pro ea & orat & gratias agit (tam enĩ ipsa Ecclesia per Christum quàm Christus per Ecclesiam consueuit offerri):Ita post resurrectionem tradet Christus regnum Deo & Patri, offerens ei cum gratiarũ actione seipsum & omnes electos,vt Deum videat, &in eo requiescat.Atque hac ratione futurũ est quod illa scriptura dicit:Et transiẽs ministrabit illis.Quia non in humanitate sua sinet eos conquiescere, sed vsque ad contemplationem diuinitatis eos deducens Deo eos tradet, Sicut bene exponit Greg.hom.13.

Luc.12.

Apoca. 7.

Lib.10 de ciuit.Dei, cap.20.

Luc.12.

Chrysostomus etiam negare videtur Christum in hac vita orasse,vbi ait:Quid autẽ significat,Quoniam audisti me?hoc est, nulla in re tibi contrarius sum. Quemadmodum igitur ea particula, Quoniã audisti me,non signat quòd ipse non potuerit: non enim tantùm impotẽtia esset,sed stultitia,siquidem ante preces nescisset eum sibi assensurũ,& si nesciebat quomodo dixit,Vado vt à somno excitem illũ: & non dixit, Vado vt rogem patrem vt excitet? Quemadmodum,inquam,id non imbecillitatis,sed stultitiæ,ita & illa,Quia semper me audis,aut idem signat,aut ad illorũ locutus est suspicionem. Quod si neque ignorabat, neque imbecillis erat, constat

Hom.63. in Ioannẽ

propterea humiliter locutum, vt saltem id per excessum dictum cogaris confiteri, nō secundum eius dignitatem, sed vt ad auditorum descēderet imbecillitatem: ideo dixit, Quoniam me audisti. Minimè, inquies, sed vt ostenderet excellentiam. Atqui hoc pacto & nimiam humilitatem, & tantùm hominem esse indicabat. Neq; enim precari Dei est, & eius qui Deo assidet. Et homil. 14: Quid autem amplius haberet Christus q̄ Apostoli, si ad mittendū spiritum esset patrē rogaturus, quod illos nōnunq̄ sine precibus fecisse apparet? Et infrà: Quid ergo sibi vult, Rogabo? Aduentus tempus significat. Quādo enim eos per sacrificium mundauit, tunc inspiratus est spiritus. Et homil. 79: Neq; Euangelista orasse Christum dicit, sed subleuatis oculis in cœlum, & potius sermonem ad patrem esse ait. Quod si alibi orationem appellat, & genu flexum dicit, tūc autem oculos in cœlum extulisse, noli perturbari etc. Hic, inquam, videri posset Chrysostomus sentire, nec quidem in hac vita Christum orasse. Sed absit vt claris scripturis psalmorum, euangeliorum, Apostoli ad Hebręos, & aliis catholicis doctoribus contradicat: Imò vt sibiipsi homil. 84. in Matthęum dicenti: Orat Christus intentiùs, adeò vt vel sudores vberiùs defluxerint: ea rursus de causa ne hypocrisis res ista videatur. Item homilia contra eos qui ad missas non occurrerunt: vbi docet Christum orasse non secundum diuinitatem, sed humanitatem, Veniens, inquit, Christus ad locum orat: & illi quidem (Arriani scilicet) dicunt, Quia secundum deitatem. Nos verò dicimus quia secundum dispensationem. Quæ verba citātur in sexta synodo, actione 10. Quę cum ita se habeant, quid est quod alibi dicit: Precari non est Dei & eius qui Deo assidet? Quomodo itęm dicit illud, Rogabo, non propriè accipi? Nimirum

Idem.

Chrysos.

rum

rum quandoque conſiderauit Chryſoſt. conditionem & formam orationis noſtræ, qua eiuſce rei gratia oramus quam nõ ſcimus certò nos accepturos. Certè tali oratione non eſt vſus Chriſtus. Sicut enĩ is cui⁹ veracitas nobis bene cõperta eſt, dicitur quodam ſermonis ſchemate donare cùm ſe promittit donaturũ: iuxta illud Apoſtoli, Omnia cum illo nobis donant, Et: Abrahæ per repromiſsionem donauit Deus, Et: Donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum: Ita ſimili tropo dicitur is, cui donum promiſſum eſt, accepiſſe, & proinde nec debere orare: ea ſcilicet oratione qua is orat, qui necdũ vel re, vel ſaltem promiſsionis certitudine accepit, (Quanquã alio genere orationis debeat vti is, qui etiam ſecurus eſt ſe eſſe accepturum). Quemadmodum (verbi gratia) Dauid iam accepta magnifica promiſsione de æternitate regni per Chriſtum ex ſe naſciturũ, orabat; Nunc ergo domine Deus verbum quod locutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita in ſempiternum. Huiuſmodi eſt omnis oratio Chriſti, qua pro ſalute hominum, de qua ſecurus erat, orauit. Hunc ſenſum eſſe verborum Chryſoſtomi vel ex eo patet, quòd orationem Chriſto auferre videatur in ijs vbi certus erat ſe exaudiendum: vbi autem ex appetitu ſenſualitatis legitur recuſaſſe mortem quam tamen erat paſſurus, liberè eã oraſſe cõfitetur. Hãc quoq; eſſe eius ſententiam patet ex eo quod loco citato ait: Ea particula, Quoniam audiſti me, non ſignat quòd ipſe non potuerit: Non enim tantùm impotentia eſſet, ſed ſtultitia, ſi quidem ante preces neſciſſet eum ſibi aſſenſurum. & ſi neſciebat, quomodo dixit: Vado vt à ſomno excitem eum, Et nõ dixit: vado vt rogem patrem vt excitet? Quemadmodum, inquam, id non imbecillitatis ſed ſtultitiæ:

Rom.8. Galat 3 Act.27. 2.Reg.7. Hom.63. in Ioannẽ

propterea humiliter locutum, vt saltem id per excessum dictum cogaris confiteri, nō secundum eius dignitatem, sed vt ad auditorum descēderet imbecillitatem: ideo dixit, Quoniam me audisti. Minimè, inquies, sed vt ostenderet excellentiam. Atqui hoc pacto & nimiam humilitatem, & tantùm hominem esse indicabat. Neq; enim precari Dei est, & eius qui Deo assidet. Et homil. 14: Quid autem amplius haberet Christus q̄ Apostoli, si ad mittendū spiritum esset patrē rogaturus, quod illos nōnunq̄ sine precibus fecisse apparet? Et infrà: Quid ergo sibi vult, Rogabo? Aduentus tempus significat. Quādo enim eos per sacrificium mundauit, tunc inspiratus est spiritus. Et homil. 79: Neq; Euangelista orasse Christum dicit, sed subleuatis oculis in cœlum, & potiùs sermonem ad patrem esse ait. Quod si alibi orationem appellat, & genu flexum dicit, tūc autem oculos in cœlum extulisse, noli perturbari etc. Hîc, inquam, videri posset Chrysostomus sentire, nec quidem in hac vita Christum orasse. Sed absit vt claris scripturis psalmorum, euangeliorum, Apostoli ad Hebręos, & alijs catholicis doctoribus contradicat: Imò vt sibiipsi homil. 84. in Matthęum dicenti: Orat Christus intentiùs, adeò vt vel sudores vberiùs defluxerint: ea rursus de causa ne hypocrisis res ista videatur. Item homilia contra eos qui ad missas non occurrerunt: vbi docet Christum orasse non secundum diuinitatem, sed humanitatem, Veniens, inquit, Christus ad locum orat: & illi quidem (Arriani scilicet) dicunt, Quia secundum deitatem. Nos verò dicimus quia secundum dispensationem. Quæ verba citātur in sexta synodo, actione 10. Quę cum ita se habeant, quid est quod alibi dicit: Precari non est Dei & eius qui Deo assidet? Quomodo item dicit illud, Rogabo, non propriè accipi? Nimirum

Idem.

Chrysos.

rum quandoque conſiderauit Chryſoſt. conditionem & formam orationis noſtræ, qua eiuſce rei gratia oramus quam nõ ſcimus certò nos accepturos. Certè tali oratione non eſt vſus Chriſtus. Sicut enĩ is cui' veracitas nobis bene cõperta eſt, dicitur quodam ſermonis ſchemate donare cùm ſe promittit donaturũ: iuxta illud Apoſtoli, Omnia cum illo nobis donant, Et: Abrahæ per repromiſsionem donauit Deus, Et: Donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum: Ita ſimili tropo dicitur is, cui donum promiſſum eſt, accepiſſe, & proinde nec debere orare: ea ſcilicet oratione qua is orat, qui necdũ vel re, vel ſaltem promiſsionis certitudine accepit, (Quanquã alio genere orationis debeat vti is, qui etiam ſecurus eſt ſe eſſe accepturum). Quemadmodum (verbi gratia) Dauid iam accepta magnifica promiſsione de æternitate regni per Chriſtum ex ſe naſciturũ, orabat; Nunc ergo domine Deus verbum quod locutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita in ſempiternum. Huiuſmodi eſt omnis oratio Chriſti, qua pro ſalute hominum, de qua ſecurus erat, orauit. Hunc ſenſum eſſe verborum Chryſoſtomi vel ex eo patet, quòd orationem Chriſto auferre videatur in ijs vbi certus erat ſe exaudiendum: vbi autem ex appetitu ſenſualitatis legitur recuſaſſe mortem quam tamen erat paſſurus, liberè eã oraſſe cõfitetur. Hãc quoq; eſſe eius ſententiam patet ex eo quod loco citato ait: Ea particula, Quoniam audiſti me, non ſignat quòd ipſe non potuerit: Non enim tantùm impotentia eſſet, ſed ſtultitia, ſi quidem ante preces neſciſſet eum ſibi aſſenſurum. & ſi neſciebat, quomodo dixit: Vado vt à ſomno excitem eum, Et nõ dixit: vado vt rogem patrem vt excitet? Quemadmodum, inquam, id non imbecillitatis ſed ſtultitiæ:

Rom. 8.
Galat. 3
Act. 27.
2. Reg. 7.
Hom. 63. in Ioannẽ

Ita & illa, Quia semper me audis, aut idem signat, aut ad illorum locutus est suspicionẽ. Hîc enim dicit, vt quis orare dicatur requiri, vt ignoret an sibi Deus assentietur: ac proinde, quia eiusmodi ignorantia non erat in Christo, ideo (eo sensu) non fatetur eum orasse. Et addit quòd tantùm hominem eum esse ostenderet oratio. ea scilicet quæ est cum ignorantia futuri. Sic homil. 13. in epistolam ad Hebræos: Non ad tempus tantùm, inquit, interpellat, sed etiam illic in futura vita. Semper ergo opus habet deprecari? Et quomodo hoc rationem habebit? Et homines enim iusti sæpius ex vna petitione totum impetrant, ipse autem semper postulat? Ecce dicit Christum non opus habere precatione, quia iusti sæpenumerò ex vna petitione totum impetrant. hoc est, securi redduntur quòd accipient. sicut angelus Paulo oranti dicebat: Donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.

Act. 27.

Quo sensu nõ oret Christus.

Secundum diuinitatem igitur, negat Chrysostomus Christum orare: & secundum humanam naturam, eo genere orationis quod cum ignorantia & incertitudine accipiendæ rei petitæ coniunctum est. Nam quod Chrysostomus etiam Christum secundum humanam naturam iam in cælo orare pro nobis doceat, eo quidem modo, qui ei secundum diuinam naturam non competit, nec sola corporis ostensione, sed etiam mentis locutione, clarè patet quando dicit: Vides quia de eo qui secundum carnem est ista dicit? Quando enim sicut pontifex est, tunc etiam interpellat: vnde & quando dicit Paulus: Qui etiam interpellat pro nobis, hoc idem significat: hoc est, Pontifex interpellat: Alioqui qui resuscitat mortuos, quos vult & viuificat, sicut Pater: quomodo, vbi saluatione opus est, interpellat? qui omne iudicium habet omnium quomodo interpellat? qui

Homil. 13 in epis. ad Hebræos, tractãs illud, Semp viuens ad interpellandũ etc.

mittit

mittit angelos, vt alios quidem in caminum mittant, alios autem saluent, quomodo interpellat? Et infrà: Semper viuens ad interpellandum pro eis. vides humilitatem, vides humanitatem? Non enim dixit eum in humilitate constitutum duntaxat istud adeptum esse, sed semper & quandocunque opus fuerit interpellare pro eis. Quid est, ad plenum? Non ad tempus tantùm, sed etiam illic in futura vita. Semper ergo opus habet deprecari? Et quomodo hoc rationem habebit? Et homines enim iusti sæpè ex vna petitione totum impetrant, ipse autem semper postulat? Quare ergo confidet? Intueris quia ad captum illorum sese dimittit, ac si dicat: Nolite timere, Nec dicatis, etiam, diligit quidē nos & fiduciam habet ad patrem, sed nō potest semper viuere. Semper enim viuit. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Vides quia de humilitate totū hoc dictum est. Quando autem totum dico, humanitatē dico diuinitatem habentem: non diuidens, sed permittens quæ condecet inspici. Homelia verò 39. in Matthæum apertissimè: Cur verò (ait) gratias agit patri, cum ipse illud fecerit? sicut orat & intercedit pro nobis ad Deum ex magna erga nos charitate, sic etiam & hoc ex charitatis feruore peragit. Hæc paulò fusiùs nos de Christi oratione dicere coegerūt aduersarij. Quia vt inuocationem sanctorum in cœlis agentium magis reddant dubiam: etiam contra apertam scripturam, pro nobis Christum orare negant. Idem.

Non repugnat orationi certitudo obtinendi: sicut nec ad eam requiritur. CAPVT XVI.

PErbellum verò est, quod ait Monhemij defensor, Monhemiū, si tergiuersari volet, dicturum spiritus beatorum de volūtate Dei erga

nos adeò certos esse, vt orare nec velint, nec possint. *Quæ quidem*(addit ipse)*certitudo longè conuenientior erit statui beatorũ quàm angor & tristitia, quã theologastri illis tribuũt, de nostra, seu perfidia, seu vitiositate.* Insignis, inquam, Monhemij defensio. Monhemius ad hoc vt nos mortales rectè oremus, exigit certã de diuina erga nos beneuolẽtia persuasionẽ: More scilicet hodiernorum hæreticorũ patrum suorum, vt ex initio sexti dialogorum Monhemij patet, supràque ostendimus. Artopæus verò ex certitudine de bona volũtate Dei erga nos tollit orationẽ sanctorum pro nobis. O hæreticorum vertiginosum spiritum. Oratio mortalium sine certitudine vitiatur. Sanctorũ verò in cœlis iam agẽtium oratio per certitudinẽ destruitur. Hæc sunt portẽta Monhemij & Artopæi. At catholici, sciunt orationem nec annexam habere certitudinem optatis potiendi: sicut
2. Cor. 12 Apostolus orauit Dominũ, vt auferret à se stimulũ carnis suæ, ignorans an id esset obtenturus: nec per
Exod. 8. certitudinẽ tolli: quomodo Moyses orauit pro spõsione ranarum quam cõdixerat Pharaoni, & Chri-
Ioan. 17. stus pro his qui sibi à patre dati erant, quos sciebat saluandos. Sycophanticam & illud est, eos quos spiritu maledicentiæ theologastros passim appellat, tribuere sanctis cum Christo in cœlis agentibus, angorem & tristitiam de nostra perfidia vel vitiositate: Cùm non aliter doceãt sanctos supernè agẽtes solicitos esse de malis nostris, quã sunt sancti angeli, qui sine vlla sui perturbatione, etiam fatentibus aduersarijs, pro nobis orant. Ex eadem stomachi impuritate processit & illud: *Pius quidam vir ante aliquot annorum centurias, ab inuocatione & meditatione defunctorum sanctorum, ad solum Deum omnis boni fontem, eiusq; filij meritum, magna voce nos reuocauit, dum in hymno ita cecinit:*

Adiuuent nos eorum merita
Quos propria impediunt scelera?
Excuset eorum intercessio,
Quos propria accusat actio?

Si tibi is pius est, Artopææ, qui reuocat nos à petenda intercessione eorum qui propria actione accusantur, impius est Paulus Apostolus, cũ petit Romanorũ, quos haud dubiè propria in multis arguebat actio, intercessioně: Impius erat populus Israel, qui Samuelis preces, vtĩq; in multis offendentis, petiuit: Impius Iacob', qui hortatur eos quos in multis dicit offendere, vt pro se inuicem orent. Sed prę clarè iuxta ac piè scribitur Artopæo, quicquid pro sententia eius facit, etiamsi in Deum impium sit & blasphemum. Audi igitur, Sycophanta Artopeæ, verba pij viri, ante aliquot annorum centurias in solennitate quadam ecclesiæ sic dicentis: Concede nobis Domine quæsumus, veniam delictorum, & intercedentibus sanctis, quorum hodie solennia celebramus, talem nobis tribue deuotionem, vt ad eorum peruenire mereamur societatem. Adiuuent nos eorum merita quos propria impediunt scelera: Excuset intercessio, accusat quos actio: & qui eis tribuisti cœlestis palmam triumphi, nobis veniam non deneges peccati. Et expendat lector quàm tu ijq; ex quibus hausisti, fideliter hæc citaueritis. Certè valde cæcus est qui non videat in dictis verbis relatiuum accusatiui casus (quos) bis repetitum, non referre genitiuum (eorum) sed accusatiuum, nos. Quòd autem cum interrogatione illa legis, quæ est impudentia? cum facilè simplex quisque lector, si quæ sequuntur legat, videat te non syncerè agere. Magna certè est vestra impudentia & malitia, quæ nequit typographi vel scribæ contigisse incuria: quemadmodum illa duarum senten-

Rom. 15.
1. Reg. 12.
Iac. 3. & 5

ſentẽtię Chryſoſtomi vocum omiſsio in libro Colonienſium, quam liuidè nimis exagitas.

Argumenta quæ fiunt contra Sanctorum interceßionem & inuocationem, refelluntur ex ſanctorum angelorum interceßione & inuocatione. CAP. XVII.

QVia verò deinceps dicit Monhemius angelos non eſſe inuocãdos, adhuc hîc aliquantulum hærendum eſt. Hîc igitur repete, lector, quod antè oſtendimus, omnia argumenta quę ab aduerſarijs ad impugnandam ſanctorum in cœlis regnantium inuocationem adducuntur, æquè validè contra Apoſtolum Romanorum preces petentem allegari poſſe, exceptis tamen duobus, Vno quidem ex eo ſumpto quòd negant ſanctos illos orare pro nobis, altero verò quòd eos preces noſtras non cognoſcere dicant. Sed cum hæc duo de angelis dicere non audeãt, vtpote de quibus disertè ſcriptum legimus, Zach. 1. quòd orent pro nobis, In Pſalmo: quòd in omnibus vijs noſtris nos cuſtodiant, In Tobia & Apocalyp. quòd orationes noſtras Deo offerant, In Daniele, quòd ſolicitudinem de hominibus gerant, & vnus alterum iuuet ad hominum promouendam vtilitatem: De quibus denique pronunciat Chriſtus quòd etiam puſillos in Chriſtum credentes cuſtodiant, & quòd eis vel vnius peccatoris reuelet pœnitentiã: Cum, inquam ex tot ſcripturis conſtet angelos precari Deum pro nobis, & omnes vias noſtras ſatis perſpectas habere, nos cuſtodire, noſſe pœnitentiam noſtram, quid nocebit, vel quid piaculi, ſi eorum agnoſcamus & officium, & beneuolum erga nos affectum? ſi petamus ab eis vt quod agere cupiunt, agant, hoc eſt, vt pro nobis orent, nos cuſtodiant, nos adiuuent? Certè ſi quo pacto veritatis ſtudio mouerentur aduerſarij,

Pſal. 90. Hilarius eadẽ ferè verba habet ĩ Pſal. 129. ſuper hoc: Fiant aures tuę. Matth. 18.

sarij, iampridem compulsi essent cedere, & ex illis quæ ipsimet ex scripturis cõuicti concedunt, fateri vnà nobiscum, non solũ licitũ, verùm etiam salutare & planè religiosum, sanctos angelos implorare. Hoc verò concesso, cum pronunciet scriptura, sanctorum animas non esse mortuas, sed iam cum patriarchis viuere, eóq; per angelos deduci, esse item cum Christo pręsentes ad Dominum, non ampliùs ambulare per fidem, sed ipsam cõtemplari speciem, facilè profectò est ostendere, nihil cum beatitudine sanctarum animarum pugnare quòd dicantur orare pro nobis, sicut nec cum Christi vel angelorũ beatitudine pugnat: & eandem esse rationem, cur tam illis quàm sanctis angelis debeat Christus indicare ouem perditam esse inuentam, nempe quòd æquè vt angeli, vicini & amici sint, quos ad congratulandum Christus inuitet, non minus per charitatẽ iam valde perfectam desiderantes peccatorum conuersionem quàm angeli. Nos intercessionẽ & inuocationem sanctorum angelorum ex patribus ostendamus, idq; primùm authoritate Hilarij, sic dicentis: Intercessione angelorum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos qui hæreditabunt salutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerẽdum spiritualis intercessionis ministerio indigente. Rursus: Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Pręesse angelos absoluta authoritas est. Saluatorum igitur per Christũ orationes angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille cõtemnitur, cuius desideria, ac postulationes, ad æternum & inuisibilem Deum, ambitioso angelorum famulatu ac ministerio peruehuntur. Et paulò pòst: Angelis in cœlo est lætitia, & cura salutis humanæ. Et in Psal. 124: Sed neque desunt stare volentibus sanctorum custodiæ, neq; angelorum munitio-

Luc. 16.

2. Cor. 5.
Philip. 1.

In Psal. 129.

Canone 18. ĩ Mat. vbi explicat: Videte ne contemnatis vnum de pusillis istis, etc.

munitiones. Et infrà: Ac ne leue pręsidium in Apostolis, vel patriarchis, ac prophetis, vel potius angelis, qui ecclesiam quadam custodia circunsepiunt etc. sicut antè citauimus. Basilius quoque in Psal. 33. de angelis loquens: Sanctæ (inquit) spirituales virtutes circa cœlestem versantes locum, aliquæ oculi dicuntur, quòd curam susceperint nos interuisendi, curáque nostri omnium illis concredita sit: nonnullæ aures, vt quæ nostras excipiunt preces. Libro item de sancta virginitate, dicit quòd angeli vbique præsentes sunt, & omnia quæ hìc geruntur inspiciunt. Augustinus: Indignatio (inquit, explicans illud Iob: Etenim stultum perimit ira) qua quisque angitur tanquam iniquè sibi aliquid acciderit: dum non cogitat vsque adeò se immundum esse coram Deo, vt inuocanti non angeli respõdere, aut se demõstrare dignati sunt etc. Rursus in ijsdem annotationibus, super hoc: Miseremini mei, miseremini mei, ô amici: Angelos, ait, videtur Iob postulare vt pro se deprecentur, aut certè sanctos vt pro pœnitente orent. Libro de cura pro mortuis dicit angelica ministeria vsquequaq; diffusa. Postremò, 12. cap. lib. 10. de ciui. Dei: Cum exaudiunt angeli Dei, ipse in eis exaudit, tanquam in vero nec manufacto tẽplo suo, sicut in omnibus sanctis suis eius quæ temporaliter sunt iussa, æterna eius lege conspecta. Similiter Hieronymus ad illud Danielis: Et nemo est adiutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester: Ego sum angelus ille qui offero Deo orationes tuas: & nullus est alius qui adiutor meus sit, rogando pro vobis Deum nisi Michael archangelus: cui creditus est populus Iudæorum. Ambrosium antea citasse sufficere poterat, nisi & breuia & clara nimis essent eius verba in 2. hexameron, super illis verbis Domini: Angeli cœli semper vident faciem patris mei: Et volatilia, inquit,

Basilius. Explicans hoc: Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum.

August. Super 5. cap. Iob.

Cap. 16.

Hieron. Daniel. 10

Ambros.

Cap. 4.

inquit, circa firmamentum cœli, eò quòd potestates quę sunt in illo visibili loco, spectēt hæc omnia, & subiecta suis habeant conspectibus. Et in lib. de viduis: Obsecrandi sunt angeli pro nobis qui nobis ad præsidium dati sunt. Et lib. 10. in Lucam: Hoc proficit ad incentiua probitatis, si vnusquisq; conuersionem suam gratam fore credat cœtibus angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam. Beda deniq;: Mox, inquit, vbi futuras hostis antiqui insidias perspicim⁹, vnicū nobis refugiū foramina petræ nostræ, id est, dominicæ fidei pręsidia intremus, ac signo nos passionis illius defensare studeamus. Sed & cauernam macerię cito volatu petamus, id est, sanctorū vel angelorum vel hominū crebras pro nobis intercessiones apud misericordiam pij conditoris quęramus. Quod cū vniuersis fidelibus, tum illis maximè probatur esse necessarium, quibus non sui solummodò cura, sed & aliorū gubernādorum atq; erudiendorum est onus impositū. Hæc sunt enī firmissima ac tutissima sanctæ ecclesiæ præsidia: propter quæ superiùs à Dño audiuit (scilicet ecclesia): Surge amica mea, & veni colūba mea, in foraminibus petrę, in cauerna macerię. Hęc ille. Attēdat lector beneuolus, quanta concordia, quantaq; sententiæ conformitate hæc à tam diuersis dicta sint: vt petulātia sit maxima iam velle aliquid diuersum proprio cerebro effutire.

Beda. Lib. 4. in Cantica canticorū cap. 24.

Quomodo Deus solus scrutetur corda. CAP. XVIII.

QVod ergo in ore semper habent hæretici: Solius dei est scrutari corda (iuxta Salomonem in lib. Regū) igitur solus Deus preces nostras nouit, facilè ex præmissis diluas. Cur enim, si tam leuiter argutari libeat, nō similiter dicas: Solus Deus nouit corda, ergo Romani, quibus vel viua voce, vel scripto sese cōmendabat Paulus, vt pro se ora-

3. Reg. 8. Rom. 15.

ſe orarent, non nôrunt quid peteret Paulus? ſed nimis ridiculũ eſt, hoc vel cogitare. Si itaq; homines per verba poſſunt, quid velis, cognoſcere: quid ni & angeli: qui teſte Baſilio, vbiq; præſentes ſunt, & omnia quæ hic geruntur inſpiciunt? Ad hæc, ſi amplius velis ſcripturam premere: Solus Deus nouit corda, ergo angeli in cœlo nõ cognoſcũt quando pœnitentiam agat peccator, quando ouis perdita inueniatur (ſiquidem hęc in intimis cordis aguntur): & ita mentietur Chriſtus, dicens eſſe gaudium coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Non igitur illud Salomonis: Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum: ideò dictum eſt, quaſi nemini Deus vllas hominũ cogitationes, deſideria, atq; vota reuelaret, ſed quia ipſe ſolus ex ſe, perpetuò, exactè vſq; ad intima penetralia, omnium corda nouit: alij verò, non omnium corda, ſed quorũdam, nec omnia quoq;, ſed aliqua ſolummodò quæ in humano corde geruntur, eaq; nõ exactè, ſed ad menſuram, nec perpetuò, ſed aliquando tantùm, nõ ſua, ſed diuina virtutę & gratia cognoſcũt.

Lib. de ſancta virginitate. — Luc. 15. — 3. Reg. 8.

Quem cultum angelorum prohibeat Apoſtolus.

CAPVT XIX.

POſt hæc, aliud nugamentum adducunt aduerſarij. Prohibet, inquiũt, Apoſtolus culturã ſeu religionem angelorum. Sed nos ſuperiùs explicuimus qualem cultum damnet Apoſtolus, ex Chryſoſtomo & Epiphanio: eum videlicet, quem Simon Magus introduxerat, quo docebat ſacrificia angelis offerre, angelos mediatores eſſe non Chriſtum, ac maiorem eſſe Chriſtum quàm qui mediator eſſe debeat. Et talem cultum angelorum reijcit etiam Auguſtinus 10. confeſs. cap. vltimo. Chryſoſtomi interpretationi ſimiles ſunt Theophilacti, & Oecu-

& Oecumenij. Haymo autem paulò aliter explicat. Erant (inquit) philosophi gentium, & aliqui Iudęorum, qui dicebant: Sicut sunt quatuor elementa, ita sunt quatuor angeli, qui pręsunt singulis elementis, Hi ergo dicebant ad illos qui crediderant, volentes apparere religiosi: Quia ex quatuor elementis constatis, debetis angelis illis qui præsunt elementis, aliquam culturam & sacrificia offerre. Omittam commentarium Ambrosio inscriptum, qui per angelos intelligit stellas: & Hieronymum, qui angelorum nomine dæmones hîc putauit significari, quos adorârunt, iuxta Stephanum, Iudæi, dum militiam cœli coluerunt: quos & hodie adorant, dum legem obseruant. Ad Theodoretum venio, quem in hæc verba scribentem persuadere conantur aduersarij catholicæ sententiæ contradixisse, suamq; ipsorum comprobasse. Qui legem defendebant (inquit) eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. quocirca synodus quoq; quæ conuenit Laodicęæ, quæ est Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit, ne precarētur angelos: & in hodiernum vsq; diem videre licet apud istos, & eorum finitimos oratoria sancti Michaelis. Illi ergò hoc cõsulebant, vtiq; humilitate vtentes, dicentes vniuersorum Deũ nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perueniri: & oportere per angelos diuinâ sibi beneuolentiam conciliare. Rursum in cap. 3. tractãs hoc: Gratias agentes Deo per ipsum: Quoniam, ait, illi angelos iubebant adorare, ipse contrarium præcipit: vt & dicta & facta exornent recordatione Christi Domini: & ideò, inquit, & patri gratiarum actionem emittite per ipsum, non per angelos. Hâc etiam legem sequens Laodicæna synodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege cauit ne precarentur angelos, & ne relinquerent Dominum nostrum

Quæst. 10. ad Algasiam.
Act. 7.

In 2. c. ad Colossen.

Idem.

G strum

ſtrum Ieſum Chriſtum. Hæc fateor Theodoretus ſcripſit, ſed non contra catholicos, qui angelos vt pro ſe Deum orent, colunt, non eo modo quo illi in quos Theodoretus inuehitur, qui cultu lõgè diuerſo, à Simone Mago tradito angelos adorabãt. Et hoc ipſum clarè liquet ex ipſa ſynodo à Theodoreto citata, ſic dicenti: Non oportet chriſtianos derelicta eccleſia abire, & ad angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere: quæ omnia interdicta ſunt. Quicunq; autem inuentus fuerit occultè huic idololatriæ vacans, anathema ſit, quoniam derelinquens Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei, acceſsit ad idola. En candide lector. ſanctos angelos dicemúſne eſſe idola? & cum eos oramus vt pro nobis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum precentur, Chriſtúmne derelinquimus? abſit. Non ergo fucum faciant aduerſarij in re tam clara.

Cap. 35.

Cæterùm ſi quis breuiter & dilucidè cognoſcere velit, Theodoretum cum alijs catholicè de ſanctorum inuocatione ſenſiſſe, legat ea quæ ſcripſit lib. 8. contra Græcorum affectiones. Nec hoc, quod ſuprà citata verba eius habent * Vſque in hodiernum diem videre licet apud iſtos & eorũ finitimos oratoria ſancti Michaelis, putet ita accipiendum, ac ſi ea oratoria improbaret: ſed quòd vt facilius probaret illos Phryges ſuperſtitiosè deditos fuiſſe tali cultui, narret catholicos patres eiuſmodi ritũ idololatricũ in licitum & ſacrũ iam poſteà cõuertiſſe, feciſſéque ex templo idoli, ſancti Michaelis oratorium, vt qui malo ſuperſtitioſóque angelorum cultui ibi dediti erant, eodem in loco per bonum & laudabilem cultum dediſcerent noxium. Quale quiddam voluit etiam Gregorius primus facere Auguſtinum epiſcopum Angloſaxonum, ex ſimili occaſione. Fana idolorum (inquit) deſtrui in eadem gente minimè debent, ſed ipſa quæ in eis ſunt idola de-

Verba ſequuntur pag. 54.
* In c. 2. ad Colloſ.

Lib. 10. Regiſtri cap. 71. ad Mellitũ.

la destruantur: aqua benedicta fiat: in eisdem fanis aspergatur: altaria construantur: reliquiæ ponantur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est vt à cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commodari: vt dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consueuit familiariùs concurrat. Et quia boues solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari: vt die dedicationis vel natalicio sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solennitatem celebrent, nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant: vt dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire faciliùs valeant. nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse, non dubium est, quia is qui locum summum ascendere nititur, gradibus vel passibus non autem saltibus eleuatur. Sic Israelitico populo Dominus in Ægypto se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum vsus, quos diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reseruauit, vt eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet, quatenus commutantes aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: vt etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueuerant, veruntamen dum Deo hæc, & non idolis immolarent, iam sacrificia ipsa non essent. Hæc eo in loco Gregorius. Ex quibus constat multa gentiles cum fidelibus, & ediuersò fideles cum gentilibus habere exterius communia: in gentilibus quidem damnanda, quia per ea dæmo-

nibus seruiunt: in fidelibus autem laudanda, quia per ea martyribus, aut sanctis honorem exhibent. Iurat gentilis per cœlum, & cultor est dæmonis: Iurat Moyses per idem, & cultor est Dei. Idem omnino extrinsecè est iuramentum, sed interior per ipsum cultus longè est diuersus. Qua de re pulchrè Hieronymus contra Vigilantium: Idololatras (inquit) appellas, qui cereos accendunt. Non diffiteor omnes nos qui in Christo credidimus, de idololatriæ errore venisse. Non enim nascimur, sed renascimur christiani, & quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis: & idcirco detestandum est. Hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est.

Ipsummet rude vulgus, tametsi de internis animorum affectibus, deq; rerum differentijs nesciat iudicare, nouit tamen, ex externis similibus non conuinci rerum identitatem: nouit ex simili passione non ritè colligi eiusdem esse dignitatis maleficum & martyrem. Sed mirandum non est hæreticos ad solam externam similitudinem humanorum actuum esse intentos (vnde accidit, vt putent idem agi à paganis, quod à christianis.) Cæci enim sunt, & duces cæcorum.

Catholicos non tribuere martyribus soli Deo propria.

CAPVT XX.

ADuersarij causantur nos sanctis id tribuere, quod solius Dei, vel Christi sit: vt, quòd Mariam spem nostram dicamus: quòd petamus peccata nostra solui ab Apostolis, & eorum ope sanari à peccatis nostris. At errant, non intelligentes neque scripturas, neque quę loquuntur. Tamne labilis sunt memoriæ qui se scripturæ peritos putant,

putant, vt nesciant quid Apostolus dixerit: Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos? Nonne Christus dicit correptori peccantis fratris sui: Si te audierit, lucratus es eum? An non Apostolus Thessalonicenses spem suam appellat, gaudiumq; in die Domini? Si itaque concionator quispiam, aut monitor, ob verbi ministerium saluator hominum hominésque lucratus esse dicitur, si spes concionatoris sunt ij, quos ipse ad Dominum conuerterit: quanto magis qui in cœlis agétes nunquã non sunt de nostra salute soliciti, & pro nobis precantur Dominum, & meritis suis nobis opem ferunt: nos saluare, à peccatis soluere, & spes nostra dicendi sunt? non ita tamen ac si sua authoritate id efficiant, sed quia solicitudine & precibus suis, id impetrant: sicut & ij, qui hic adhuc vitam degunt, spei aliquid ad salutem nostram suis precibus addunt. Certè ecclesia propter inenarrabiles gemitus, quos ipsa edit asiduè, mater nuncupatur filiorum promissionis. Deo verò filium spiritaliter gignere, estné eum quadam ratione saluũ facere? Quinimò, non tantùm ecclesia, quæ in sanctis est, tota singulos & omnes parit Deo, sancta & indiuidua charitate regenerandos ad communicationem sancti spiritus adiuuans, sed etiam quælibet anima pia, faciens voluntatem Dei, in his quos charitate parturit, donec formetur Christus in eis, Christi mater est, inquit Augustinus 5. capite lib. de sancta virginitate. Imò, quod amplius est, cũ homini veraciter ad Deum conuerso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur (inquit idem Augustinus) quibus ipsa veraci conuersione coniungitur. Deniq; ipse Ioannes de orante pro fratre peccante non vsq; ad mortem, dicit (iuxta Græcos codices): Dabit ei vitam. Illud verò quod ex cap. 8. libri de Pastoribus allegat Artopæus, Sanctos cõtristandos, si in ipsis spem

1.Cor.9. Matth.18. 1.Thes.2. Aug. epist. 23 ad Bonifaciũ. Lib.6. de bap. cõtra Donatist. 1.Ioan. 5.

nostram collocemus, eodem ipso loco explicat Augustinus, quòd nimirum Dei honori derogemus, si in sanctis hominibus spē nostrā sic conijciamus, atq; si nostri essent redemptores, & ex se nobis auxiliari valerent: aut quasi in nomine eorum baptizati essemus, aut ipsi pro nostra redemptione fuissent crucifixi. Ostendit enim eo loco August. Donatum haereticum, & Parmenianum (qui dicebant sacramenta non sanctificare, nisi à sanctis ministris tradantur) docuisse homines, vt in se, non in Domino spem suam collocarent: agitq; August. de hominibus hîc adhuc viuētibus, quos nō ignorabat à Paulo rogatos vt dn̄m pro se precarētur. Augustini verba haec sunt: Superbia donati fecit sibi partē subsequētem, cū Parmenianus illius cōfirmauit errorē. Ille mons est, ille collis est. Sic omnis cuiuslibet author erroris terrena elatione intumescēs, ꝑmittit ouibus requiē bona pascua: & aliquādo ibi inueniunt oues pascua de pluuia dei, nō de duritia montis. Habēt enim & ipsi scripturas, habēt sacramēta: Nō sunt ista mōtiū, sed cū inueniūtur in mōtibus, male remanēt in mōtibus. Errādo enim in mōtibus, & in collibus deserēdo gregē, deserūt vnitatē, deserūt vnitas cohortes aduersus leones & lupos. Inde ergo reuocet Deus ipse: reuocet modò, audietis ipsum reuocantē: Errauerūt, inquit, oues meae in omnē mōtē, & in omnē collē altum, hoc est, in omnē timorē terrenae superbiae. Sūt enī & mōtes boni, Leuaui oculos meos in mōtes, vnde veniat auxiliū mihi. Et vide quia nō tibi in mōtibus spes est: Auxiliū, inquit, meū à Dn̄o qui fecit cœlū & terrā. Noli putare iniuriā facere te montibus sanctis, quādo dixeris: Auxiliū meū non in mōtibus, sed à Dn̄o qui fecit cœlum & terrā. Ipsi montes hoc tibi clamant. Mons erat qui clamabat: Audio in vobis schismata fieri, vt vnusquisq; vestrū dicat, Ego sum Pauli, ego Apollo, Ego Cephae, ego autē Christi. Leua oculos in istū montē, audi quid

Cap. 8. li. de Pastoribus.

Eze. 34.

Psal. 120.

1. Cor. 1.

dicat,& in ipſo remaneas, Audi etiã quid ſequatur: Nũquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? Ergo poſteaquã leuaueris oculos tuos in mõtes, vnde venit auxiliũ tibi, id eſt, in autores ſcripturarũ diuinarũ, attẽde omnibus medullis ſuis, omnibus oſsibus clamantẽ: Dñe quis ſimilis tibi: vt ſecurus ſine vlla iniuria mõtiũ dicas: Auxiliũ meũ à Dño qui fecit cœlũ & terrã. Non ſolũ tũc tibi nõ ſuccenſebũt mõtes, ſed tũc amabũt, tunc magis fauebũt: ſi in ipſis ſpem tuã poſueris cõtriſtabuntur. Angelus multa diuina & mira oſtendens homini, ab homine adorabatur: tanq̃ leuantẽ oculos in montẽ, ait ille ſe reuocãs ad Dñm, Noli, inquit, facere, illũ adora: nã ego cõſeru⁹ tuus ſum, & fratrũ tuorũ. Hæc ibi Aug. Similẽ locũ habes apud eum tract. 4. in Ioã. Noſtis, inquit, quia quidã homines dicũt aliquãdo, Nos tollimus peccata hominibus, quia ſancti ſumus. Si enĩ nõ fuerit ſanctus qui baptizat, quomodo tollit peccata alterius, cũ ſit ipſe homo peccator? Cõtra iſtas diſputationes verba noſtra nõ dicamus, hũc legamus, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Nõ ſit præſumptio hominib⁹ in homines, nõ trãſmigret paſſer in mõtes, in dño confidat: & ſi leuat oculos ſuos in mõtes, vnde veniet auxiliũ ei, intelligat qa auxiliũ eius à dño, qui fecit cœlũ & terrã. Tãtę excellentiæ Ioãnes: dicitur ei, Tu es Chriſtus? dicit nõ: Tu es Helias? dicit nõ: Tu es ꝓpheta? dicit nõ: Quare ergo baptizas? Ecce agn⁹ Dei, ecce q tollit peccata mũdi. Similia ſunt quę dicit tract. 1. in cano: Ioãnis. Ex qbus quędã citat Artopęus fol. 123. & 127. ſed quę ibidem ſequũtur omittens: Hoc q tenuit hæreſim nõ fecit, hoc q tenuit ſciſma nõ fecit: vnde enĩ facta ſunt ſciſmata? cũ dicũt hoĩes, nos iuſti ſum⁹: cũ dicũt hoĩes, nos ſanctificam⁹ immũdos, nos iuſtificamus ĩpios, nos petim⁹, nos impetram⁹: Ioãnes autẽ qd dixit? Et ſi quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem

Pſal. 82.

Apoc. 19. & 22.

Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

Iesum Christum iustū: sed dicet aliquis, Ergo sancti non petunt pro nobis? ergo episcopi vel præpositi non petunt pro populo? sed attendite scripturas & videte, quia & præpositi commendant se populo. nam Apostolus dicit plebi: Orātes simul & pro nobis: orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo: oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis: inuicem pro se omnia membra orēt, caput pro omnibus interpellet. Hactenus Augustinus. Nam hæc verba si adiecisset Artopæus, nihil omnino coloris haberent quæ dicit.

Colos. 4.

Plurimum distare cultum quem exhibent sanctis martyribus catholici, ab eo quem gentiles deferunt idolis.

CAPVT XXI.

SCimus Ioannem Ludouicum viues (quē magno supercilio, velut acris iudicij adducūt aduersarij), in hanc rem impegisse, dum scripsit: Multi christiani in re bona plerunq; peccant, quòd diuos diuásque nō aliter venerantur, quàm Deum: nec video in multis quod sit discrimen inter opinionem eorum de sanctis, & id quod gentiles putabant de suis dijs. Sed non admodùm miramur: quòd videlicet, cùm exile haberet de rebus religionis iudicium, de ea tamen sibi iudicium permittens ita hîc & alibi hallucinatus sit. alibi, dico: quia docuit solùm adultos olim baptismo ablutos fuisse: id'q; velut pro intellectu Augustini, cuius vigesimum caput lib. 1. de ciuitate Dei commentabatur. Non attēdebat Ludouicus, se Anabaptistis fomentum vel occasionē erroris prębere. Alio loco damnat eos, qui putant improprio sensu dici, filium Dei hominem assumpsisse. Vtrunq; scripsit ex mera imperitia eorum, quæ contra Pelagium & Nestorium à veteribns concilijs, & tractatoribus

In cōmēt. in 27. cap. li. 8. de ciuit. Dei.

In ca. 17. li. 9. de ciuit. Dei.

definita

definita & disputata sunt. Differentia porrò inter cultum sanctorum & paganorum ritum, satis perspicua fuisset Ludouico, si Augustini verba quæ commentatur, attendisset: Nos martyres nostros nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi deos suos, nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra conuertimus. Et infrà: Absit vt eos, quamuis deos habeant, sanctis martyribus nostris, quos tamē deos non habemus, vlla ex parte audeant comparare. Sic enim non constituimus sacerdotes, nec offerimus sacrificia martyribus nostris, quia incongruum & indebitum illicitumq́ue est, atque vni Deo tantummodo debitum: vt nec criminibus suis, nec ludis eos turpissimis oblectemus, vbi vel flagitia isti celebrāt deorum suorum, si cùm homines essent talia commiserunt, vel conficta delectamenta dæmonū noxiorum, si homines non fuerunt, etc. Rursus: Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi sed Deus eorum nobis est Deus. Hæc Augustinus.

Cap. 27. lib. 8. de ciuit. Dei.

Idem.

Idem.

Vbi vnquam vel audiuit Ludouicus, vel vidit, sceleratos homines à Christianis coli, aut crimina eorum in eorum sacra verti? Vbi item cernere potuit Christianum sancto martyri offerentem sacrificium, vel libamina? Non negamus quidem coli, & honorari Sanctos: sed interim & homines peccatores quondam, ac demùm Dei gratia liberatos fuisse prædicamus, iamq́ue sua intercessione à Deo nobis plurima obtinere. At quòd pro dijs à vulgo Christianorum habeantur, velim vel tenui argumento astruxisset Ludouicus. Id certè si conatus fuisset, calamo mox temperasset, & in proprijs argumentis indubiè erubuisset. Narrat Epiphanius fuisse quasdam mulieres in Arabia, non quæ (vt falsò volunt aduersarij) statuam circumferebant, & ei liba

offerebant, sed quæ Mariæ collyridem quandã sacrificabãt: vel vt deæ cuidã, aut pro ipsa Maria, seu ad Mariæ honorem. Verùm Epiphanius, rem planè fuisse stolidam docet; quòd neque Maria Deus sit, neq; mulieris sit sacrificare. In hæresi autem Aerij ostendit paternæ traditionis esse, quòd in memoria martyrum & apostolorum offeramus, siue vt ipse loquitur, quòd pro patribus, & prophetis, & apostolis, & cæteris, memoriam facimus. Ostendat, qui in hac re Ludouici partes vult tueri, si potest, Christianum quempiam sacrificasse Mariæ: aut mulieres in honorem eius sacrificia Deo, Ecclesia romana interim vel approbante, vel dissimulante, vbi ad eius peruenit notitiam, obtulisse: & manum dabimus. At non poterit. nunquàm siquidem permisit: nunquàm quoque permittet, creaturæ sacrificium offerri, vel vt martyrum memoria celebretur, nisi tanquàm seruorum Christi, & ex eius gratia habentium, quicquid laude dignum in se habent: nisi deniq; ipsa recordatio in Christi gloriam cedat. Fatemur esse, qui vndecunq; occasionẽ venantes explendis suis voluptatibus, etiam in martyrum natalicijs sese inebrient: sed mirum est, si vel hoc, aut peiora, non faciãt, qui sanctos inuocare nolunt. Nam nunquàm potuerunt omnes abusus tolli. Cæterùm, hoc fortiter propugnamus, publicè receptum à multis seculis Sanctorum cultum, nihil omnino cum cultu alienorum deorum habere commune: qui iuxta Dauidis cæterorumq; prophetarũ vaticinium, per Christum à Christianis iã olim ablatus est. Hæc occasione Ludouici.

Epiphanius.

Impugnatores cultus Sanctorum, imitari gẽtiles, apostatas, & veteres hæreticos. CAP. XXII.

PRiusquam verò ad Monhemium propius redeamus, videat obsecro candidus lector, cuius sequantur

quantur isti vestigia: Apostatę nimirum Iuliani, qui sua tempestate etiam hac in re insultabat Christianis, quemadmodum testantur ea scripta eius, quibus respondit Cyrillus. Si Hebræorum (inquiebat) sermones attendissetis, non omnibus modis tam infœliciter ageretis, sed peiùs nunc habetis, quàm si adhuc nobiscũ essetis. Leuia autẽ quasi essetis & tolerabilia, vnũ enim pro multis dijs coluissetis: non hominem, imò non multos homines miseros vsos lege dura quadam & aspera, agrestemq; barbariem spirante. Item alibi: Quæ vos deinde adinueneritis, addentes ad antiquum illum mortuum multos recens mortuos, quis pro dignitate abominaretur? omnia monumenta implêstis, quanquam vobiscum nunquam dictum sit, adolui sepulchris, & ea amplecti debere. Rursus paulò infrà: His se sic habentib[9], vos quare aduoluimini sepulchris? audire vultis causam? non ego dixerim, sed Esaias propheta: In sepulchris & speluncis dormiunt propter insomnia. Considerate igitur, quomodo vetus imposturę opus dormire in sepulchris somniorũ gratia: quod & Apostolos vestros verisimile post magistri mortem fecisse, vobisq; ab initio qui primi credidistis tradiderunt, vt & ipsi vobis imponerent, & post se demonstrarent publicas imposturas & abominationis huius officinas. Similiter & Vigilantij sic dicentis: Propè ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum: in Ecclesijs sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicumque puluisculum nescio quod, in modico vasculo præcioso linteamine circundatum osculantes adorant. magnum honorem præbent huiusmodi hoĩes beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cæreolis illustrandos, quos agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustrat.

Videant

Lib. 6. cõtra Iulianum.

Li. 10. cõtra eundẽ.

Esa. 65.

In epistola Hiero. cõtra eundem.

Historiæ eccleſ.li.8. cap. 6. & li.4. ca.15

Aug.li.20 cõtra Fauſtũ, ca.4.

Epiſtola inuenitur inter epiſtolas Auguſtini.

Videant inſuper aduerſarij, ſe & eos habere patronos, de quibus Euſebius ait, quòd corpora martyrũ proijciebant in mare: & dicebãt, inquit, ne fortè dij efficiantur Chriſtianorum, & illi qui deos adorare nolunt, ſeruos noſtros incipiant adorare. Agnoſcãt quoq; Fauſtum Manicheum, his verbis impropeerantem: Idola vertiſtis in martyres, quos votis ſimilibus colitis. Maximum deniq; Maudarenſem, idololatram, Auguſtino in hęc verba ſcribentem: Quis ferat Ioui fulmina vibranti, præferri Migdonem: Iunoni, Mineruę, Veneri, Veſtæq; Sananem: & cunctis, proh nephas, dijs immortalibus archimartyrẽ Namphanionem: inter quos Lucitas etiã haud minori cultu ſuſcipitur, atque alij interminato numero dijs hominibuſque odioſa nomina, qui cõſciẽtia nefandorum facinorum, ſpecie glorioſæ mortis, ſcelera ſua ſceleribus cumulantes, dignum moribus factiſque ſuis exitum maculati repererunt. Horum buſta, ſi memoratu dignum eſt, reiectis templis, neglectis maiorum ſuorum manibus, ſtulti frequentant, ita vt præſagium vatis illius indignè ferentis emineat: Inq; Deûm templis iurauit Roma per vmbras. En, inquam, quibuſcum aduerſarij cauſam ſibi fecerunt communẽ, Cum Apoſtata & blaſphemo Iuliano, dicenti Chriſtianos hominibus mortuis deferre cultum ſoli Deo debitum: cum Maximo Maudarenſi idololatra: cum Fauſto Manicheo, Eunomio, Vigilantio, & illis denique, quorum veſaniam deſcripſêre Euſebius & Theodoretus.

Cæterùm, vt illis præclari patres noſtri Auguſtinus, Hieronymus, Cyrillus & Theodoretus ſtrennuè reſponderunt: ita nos quoque iſtis (eorum certè diſcipulis) pro virili debemus obſiſtere, & cum patribus noſtris dicere, bene Chriſtianos colere martyres & alios ſanctos iam in cœlo agentes, eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur

luntur

luntur sancti, pijq́ homines: quanuis illos (verbis Augustini vtor) tãto deuotiùs, quãto securiùs post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita fœliciore victores, quàm in ista adhucusque pugnantes. at illo cultu, qui Græcè latria dicitur, (Latinè verò vno verbo dici non potest) cum sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colẽdum dicimus nisi vnum Deum. Sic & Theodoretus: Homines, inquit, qui prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi à martyribus petunt. Qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri, & mulieres, dari sibi filios petunt: qui verò parentes sunt, integra sibi & propria custodiri quæ consecuti sunt dona. Item qui peregrè aliquò proficiscuntur, petunt sibi martyres comites esse in via, vel potiùs itineris duces: qui verò iam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes: non qui se ad deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei martyres, tanquàm diuinos homines, intercessoresque sibi apud Deum aduocent, ac precentur. piè verò fideliterq́ precatos, ea maximè consequi quę desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt: manifesta nimirum acceptę sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum simulachra suspendunt, ex argento auróve confecta. Gratissimè namq́ accipit eorum dominus qualiacunque sunt dona, nec exigua, nec vilia dedignatur: quippe qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaq́ omniũ spectaculo exporrecta, testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consecutis allata. Hæc, inquam, sepulchrorum ibi martyrum, quæ sit virtus ostendunt. martyrum autem virtus, quem ipsi coluerunt Deũ verũ esse Deũ declarat. Hæc Theodoretus. De his satis.

Li. 20. cõtra Faustũ, ca. 21.

Lib. 8. contra grecorũ affect.

Symbo-

Symbolum, quod Apostolis inscribitur, esse ab Apostolis traditum, licèt hoc non dicat scriptura. CAP. XXIII.

CONsequenter Monhemius dicit: *Nõ sequitur eos inuocandos, quia nusquàm scriptura docet sanctorum inuocationem, seu implorare ab eis auxiliũ.* Ecce ad quod tandem asylum confugit Monhemius, dũ animaduertit omnia prædicta sua argumenta nullius esse efficaciæ. Sed paulisper examinemus quid hæc postrema eius ratio parturiat. Vt hoc enthymema: Scriptura non docet martyres inuocandos, ergo non sunt inuocandi: sit bonum ac firmũ, necesse est assumere hanc maiorem propositionẽ: Nihil agendum quod scriptura non docet agendũ. Si verò quæcunque in scripturis non inueniuntur, repudianda sint vt prophana, aut velut ad religionem christianam non pertinentia: ergo nec hoc recipiendum, quod dicitis, Sanctorum inuocationẽ esse illicitam, aut preces nostras nec Deo reuelãte ab eis cognosci: quandoquidem nusquam in scripturis reperiri potest. Sed neq; quòd Symbolum sit Apostolorum aut ab Apostolis compositum: Quod quidẽ an apostolorũ sit, incertũ vult esse Artopæus, Quasi id nõ eodẽ modo cõstare debeat, sicut nobis cõstat euãgeliũ quod Matthæi appellamus, esse Matthæi. Veteres certè de hac re nil dubitârũt. Maxim⁹ Taurinẽsis, serm. de traditione symboli: Ruffinus in expositione symboli ad Laurentiũ: quã reperias inter opa & Hieron. & Cypriani. Leo 1. sic habet: Regulã fidei in ipso symbolo per authoritatem apostolicæ institutionis accepimus. Rursum: Ipsius catholici symboli breuis & perfecta cõfessio duodecim apostolorum, totidẽ est signata sentẽtĳs, tanq̃ instructa sit munitione cœlesti, vt oẽs hæreticorum opiniones solo ipsi⁹ possint gladio detrũcari. Cuius symboli plenitudinem si Eutiches puro, & simplici, voluisset

Leo ser. 11. de passione dñi. Epistola 13. ad Pulcheriã Augustam.

lnisset corde cōcipere, in nullo à decretis sacratissimi Nyceni concilij deuiaret, & hoc à sanctis patrib⁹ intelligeret constitutū, vt cōtra apostolicā fidē, quæ nō nisi vna est, nullū se ingeniū, nullū eleuaret eloquiū. Augustinus quoq; docet baptizandos interrogandos esse non solùm an credant filium Dei esse Iesum Christum, sed etiam de incarnatione eius ex virgine, de passione, de morte crucis, de sepultura, de tertij diei resurrectione, de ascēsione, sede ad dexteram patris, de Spiritusancto, de Ecclesia, de remissione peccatorum, de resurrectione mortuorū. & addit: Licet ista taceantur in scripturis, tamen serie traditionis scimus implenda in baptismo, Vtiq; de traditione apostolica loquens, & (vt clarum est) apostolicum symbolum recēsens. Item Ambrosius: Si doctrinis, inquit, non creditur sacerdotum, credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana iteratum semper custodit & seruat. Similiter & Hieronymus (in epistola ad Pammachium, quæ incipit: Si iuxta Paulum, etc, & scribitur aduersus errores Ioannis Hierosolymitani): In symbolo, ait, fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, nō scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem trinitatis & vnitatem ecclesiæ, omne christiani dogmatis sacramentum, carnis resurrectione includitur. Denique Irinęus lib. 1. cōtra hæreses Valentini cap. 2. licèt symboli nomen taceat, tamen dicens se fidem narrare quam Apostoli tradiderunt, recenset eam quæ in symbolo expressè continetur, dicitq; eam & à perfectis, & imperfectis in Ecclesia teneri æqualiter. Eadē & lib. 3. ca. 4. habet. His, arbitror, imò toti ecclesię, cōfitentibus symbolū esse apostolorū, potiùs assentietur christianus æquusq; lector, q̃ Artopæo ex suo capite hæc verba pronūcianti, *Non constat symbolum ab Apostolis esse compositum.*

Lib. de fide & operib⁹, ca. 9

Ambrosi⁹ epistol. 81

Hieron.

Irinæus.

Multa

Multa esse agenda, quæ in canonica scriptura non mandantur. CAPVT XXIIII.

SEd ad id vnde aliquantulum digressi sumus, redeamus. Si nihil agendum sit, nisi quod scriptum fuerit, igitur, neque quod scriptura, quã omnes concorditer sacram dicimus, sacra sit: Neq; hoc euangeliũ potius esse Matthæi, quàm quod nomine duodecim Apostolorũ vel Thomæ inscribitur, esse eorum, quorũ nomẽ præ se fert, credemus: quũ ex nulla scriptura ꝓbari queat. Hinc Aug. Manichæis proferẽtib' epistolã Manichæi veluti Apostoli alicui inscriptã, vt epist. Pauli Apostolo asscribũtur, & euãgeliũ Matthæo, respõdit: Ego euãgelio nõ crederẽ nisi me catholicæ ecclesiæ commoueret authoritas. Et iterum: Infirmata mihi catholicorũ authoritate, iam nec euangelio credere potero, quia per eos illi credideram. Imò verò, nec quo ordine, quáve ratione celebrandus sit baptismus, aut quomodo corpus & sanguis Dñi consecrãda sint, cõstabit: si nihil nisi scripturis expressum sit recipiẽdum. Nec item, an baptismus sit apud hæreticos, an sit rebaptizandus ab hæretico baptizatus. Si ea, inquam, quæ scripta in diuinis literis non inuenimus, reijcere liceat, vbi est illud Apostoli: Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonẽ nostrum, siue per epistolam nostram? Nos cum Basilio spiritum Apostolicum sequimur. Dogmata (inquit Basilius) quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus: quorum vtraq; vim parem habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisq; sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti

Cõtra epistolã fundamenti, cap. 5.

2. Thes. 2.

Li. de spiritu sancto, ca. 27

menti conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in euangelio necessaria ad salutem habentur: imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Et Chrysostomus in eundem Apostoli locum idem habet: Hinc patet, inquit, quòd non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine literis. eadem verò fide digna sunt, tam illa, quàm ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignã putamus. Traditio est, nihil quęras ampliùs. Hi longè alio spiritu, quàm Monhemius, locuti sunt. Sed age, paulisper examinemus hoc principium Monhemij, nihil agendũ esse quod scriptura non doceat. Igitur neque principũ iussis parendum erit: quippe quæ in particulari nobis scriptura non tradat. Quòd si dicas, satis esse si genus operũ in scripturis approbetur, gratãter accipimus, promptèque subscribim⁹: dicimusque etiã omne genus operũ quod Ecclesia catholica obseruat, in scriptura cõmendari & approbari. In scriptura cõmẽdatur ieiuniũ, & quòd aliquod tẽpus diuino cultui deputetur. Hinc ritè Ecclesia præscripsit certos dies ieiuniorũ, certos dies festos, peculiareque tempus communioni. Quẽadmodũ princeps, cui iure debentur tributa, rectè statuit & modũ, & numerũ exigendi tributi. Similiter docet scriptura multùm valere orationẽ iusti pro altero fusam: & animas eorũ qui hinc emigrârunt, iã iustitiã consecutas, quã quondã sitiebãt: rursum, easdẽ ad corpus Christi pertinere, & hoc esse membrorũ eiusdẽ corporis ingeniũ, vt pro se mutuò solicita sint. Docet insuper, Christum amicis suis patefacere peccatorũ pœnitentiã, Deoque gratum esse, si fratres nostros interpellemus vt pro nobis orent. Et ex his intelligit, Sanctorũ inuocationẽ sibi cõmendari in ipso genere operis, in scripturis. Plurima sunt in scripturis Deo nõ pręcipiẽte facta, ab eo tamẽ summopere laudata, & approbata,

Iacob. 5.
2. Cor. 5.
Apoc. 20.
1. Cor. 12
Luc. 15.
Rom. 15.

tanq̃ sui cult⁹ gratissimi. Apostoli vnã Sabbati, hoc
Apoc.1. est, primã hebdomadæ (quã Ioannes diẽ dñicã vo-
Act.20. cat) sacris cõcionib⁹, cõmunione corporis Christi,
1.Cor.16. & eleemosynarũ largitione, citra vllũ Christi præ-
ceptum celebrârunt (sicut scriptura clarè docet) &
celebrandam posteris tradiderũt, tametsi scriptura
Luc.2. nõ doceat. Anna prophetissa latriam exhibuit dño,
ieiunando die ac nocte. Ioannes à Christo cõmen-
Matth.11. datur, ꝙ mollibus indutus nõ fuerit: & ab angelo,
Luc.1. quòd vinũ & sicerã non esset bibiturus. Maria Ma-
Luc.7. gdalena prędicatur, ꝙ super Dñi caput vnguentum
effuderit, quòd pedes eius suis lachrymis lauerit,
proprijs criminibus terserit, vnguento vnxerit, &
osculata sit: ex q̃bus oĩbus tamen, nihil in scriptura
præscriptũ erat. Rursum Dauid sine vllo legis man
1.Para.16 dato Deũ & cantu laudari, & ei tẽplũ ædificare vo-
luit: quod sanè adeò gratũ fuit Deo, vt idcirco insi-
gnem de Christo ex se nascituro promissionẽ tunc
3.Reg.8. acceperit. Quòd cogitasti (inq̃t ei Dñs) in corde tuo
ędificare domũ nomini meo, bene fecisti hoc ipsum
mente pertractans etc̃. Imò verò, ꝙ sua sponte, seu
nullo accepto præcepto hoc tam piũ, tamq́ ad di-
uinũ cultũ aptũ op⁹ cogitasset, peculiari insuper lau
1.Paral.17 de decoratus est à Dño, dicẽte, Nunq̃d loquẽs locu-
tus sum vni iudicũ Israel: Quare nõ ędificastis mihi
domũ cedrinã? etc̃. Ad hęc Rechabitę, quia sine do-
mo fixa, sine semẽte & messe & vinea, sine potu vi-
ni versabantur in terra, patris sui instituta sequẽtes,
singulariter à dño laudantur, magnumq́ beneficiũ
per hãc obediẽtiã cõsecuti sunt, vt describit Hiere-
Hiere.35. mias. Domui Rechabitarũ (inq̃t) hęc dicit dñs exer-
cituum Deus Israel: Pro eo ꝙ obedistis ꝑcepto Io-
nadab patris vestri, & custodistis oĩa mãdata eius, &
fecistis vniuersa quę pręcepit vobis, propterea hæc
dicit dñs exercituũ, Deus Israel: nõ deficiet vir de
stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo
cunctis

cunctis diebus. Filij Ruben & Gad, dimidiaq; tribus Manassæ, vt designaret sui iuris esse offerre deo holocausta, maximũ altare extruxerũt super tumulos Iordanis. Quo audito Iosue, Phinees, & vniuersa Ecclesia Israel turbati fuere, veluti cõtra legem hoc illi sibi constituissent ad offerendũ holocausta: at re plenè intellecta, factum ipsum laudauerũt. Vbi verò aliqd huiusmodi de⁹ pceperat? certè nõ video. Iosue 22.

Dissoluuntur argumẽta Artopæi, quibus conatur astruere, nihil esse credendum, vel agendum, quod in canonica scriptura non reperiatur, *CAP. XXV.*

HÆC cùm sic sese habeant, satis constat q̃ sit falsum cõmune illud lutheranorũ axioma: nihil agẽdũ quod nõ sit scriptũ. His aliquid amplius addere, omnino superfluum iudicarẽ, nisi etiã per Augustinũ, Lucã, & Paulũ. (à quorum mente, eo nihil magis fuit alienũ) errorẽ cõfirmare conatus fuisset Artopęus. allegat enĩ Augustinũ sic dicentẽ (lib. 2. de pec. mer. & remis. cap. 36): Vbi de re obscurissima disputatur, nõ adiuuãtibus diuinarũ autoritatũ certis clarisq; documẽtis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciẽs in partẽ alteram declinando. Sed ibi agit Augustinus de aiæ origine, num ex creatione noua, an ex propagine esset. Quæ quæstio indubiè obscurissima est, qa in traditione & Ecclesię obseruatione, atq; cõsuetudine, nihil inuenire potuit Augustinus pro eius decisione. Itaq; cùm nec ex scriptura clarã definitionem habeat, meritò iudicat Augustin⁹ nihil de ea temerè statuendũ. At ea quæ Ecclesia catholica obseruat, vt (verbi gratia) q; baptismũ hæreticorũ nõ iterat: etsi in scripturis nõ habeatur, nunq̃ inter obscurissima recensuit Augustinus: nunquam quoque vetuit, ne ita ageretur. Et hæc quidẽ de Augustino.

Per Augustin. vult Artopæus probare illud axioma.

Respõsio.

Aliud argumẽtũ facit ex eo q; Lucas in procemio

Per Lucã sui euangelij dicit: Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi assecuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, vt cognoscas eorũ verborũ, de quibus eruditus es veritatẽ. *En* (inqt Artopæus) *Lector sanctè tradiderũt Apostoli viua voce, quæ viderãt, & quorũ pars magna fuerant. Tradiderũt autẽ Ecclesiæ, & Lucæ discipulo Christi. Lucas autẽ sicut & Marcus, eã traditionẽ in literas retulit. scripta est iam itaq; traditio Apostolorum, nec est aliud quam scriptum sacrosanctum euangelium.*

Dilutio probationis. O argumentũ Achilleum. Eadẽ facilitate intulisses ex verbis Lucæ: Scripta itaq; est apostolica traditio, nec est aliud q̃ scriptũ à Luca euãgeliũ. Æquę enĩ firma est hęc connexio, vt illa. Vbi ergo ponẽda sunt ea quæ Matthæus, Ioannes, & Marcus scribũt de Christi factis & dictis, quæ Lucas nõ attigit? Siquidẽ toto suo euangelio, de quo procœmium agit, (nã acta Apostolorũ prout viderat, maxima saltẽ ex parte, nõ autẽ ex Apostolorũ traditione cõscripsit) nusquã meminit Christum ordinasse, vt Christiani aqua baptizarentur: sicut & Matthæus nusquã docet Christũ in cœlũ ascendisse, nec Marcus Christũ de spiritusancto conceptũ, & ex virgine natũ: vt taceam, Ioannẽ de seipso testẽ esse, quòd plurima prętermiserit. Nullus igitur Euangelistarũ oĩa scripto mandauit, vel quæ multũ momenti ad religionem christianã haberẽt. Quãobrem diligenter monent Ambrosius & Augustinus, Lucã non scripsisse oĩa, sed quædam ex oĩbus, ne quis male (vti Artopæus) ipsum Lucæ procœmiũ intelligeret, tanq̃ alijs euangelijs cõtradiceret. Nec putandum est hoc egisse vel hoĩes, vel spiritũ Dei, vt quicquid ab vno omissum esset, ab altero scriberetur: quum Apostolus Paulus aliqua dicat Christum egisse, quæ à nullo quatuor

Ambr. in procœm: Lucę. Aug. li. 4 de cõsensu euãgel. cap. 8.

euãgeliſtarum ſcripta ſunt:nẽpe q in vltima cœna dixerit: *Hoc facite quotieſcunq; bibetis, in meã cõmemoratione*: &, *Viſus eſt Iacobo, & pluſq̃ 500. fratribus ſimul.* 1.Cor. 11. 1.Cor.15.

Pro nata neceſsitate ſcribebant Apoſtoli, ac quidẽ illa quibus ſuccurrerent hoibus: ita vt ſi Ebion, & Cerinthus, nõ exurrexiſſent viuente adhuc Ioanne, forſitan euangeliũ Ioannis nõ haberemus. Nam (vt teſtes ſunt hiſtoriæ) ſub finẽ vitę ſuæ, iam ſenex Ioannes, illorũ improbitate compulſus ſcripſit, Sicut Paulus Apoſt. Theſſalonicẽſes quidẽ multa pręſens docuerat de hoĩe peccati, & filio perditionis, ſed ſcriptis ea traditurus nõ fuiſſet, ſi nulli Theſſalonicenſes, veluti de iamiam imminente extremo iudicio terruiſſent. Rurſus, ſi apud Corinthios non fuiſſent, qui reſurrectionẽ mortuorũ negaſſent, nunq̃ tam luculentam Apoſtoli de hiſtoria reſurrectionis Chriſti, ac de noſtra reſurrectiõe, in ſcriptis habuiſſemus narrationẽ. Sed nec tam inſignẽ de vſu eucharıſtię doctrinã, ſi eiuſdẽ Pauli tẽpore nõ cõtigiſſet in ea re abuſus. Poſtremò, ſignificat ſe de ea multa diſpoſuiſſe, quæ nuſquã in canonica ſcriptura legim⁹: Dũ venero (inquiens) cętera diſponã. (Vnde, inquit Auguſtinus, intelligi datur, quia multũ erat vt in epiſtola totũ illũ agendi ordinẽ inſinuaret, quẽ vniuerſa per orbẽ ſeruat eccleſia: ab ipſo ordinatũ eſſe, quod nulla morũ diuerſitate variatur) Sicut de dogmatibus dicit in epiſtola ad Theſſalonicenſes, Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolã noſtrã: apertè oſtendens, quædam verbis tantùm, à ſe tradita. Tertiam ex Apoſtolo adfert Artopæus probationẽ, non minus q̃ priores ridiculã. *Paulus* (inquit) *2. ad Timoth. 3. ſatis iſtos* (docẽtes nõ oĩa dogmata pietatis ĩ ſcripturis cõtineri) *arguit cũ ait: Sacræ literæ (& ſolæ, inquã) te poſſunt eruditũ reddere ad ſalutẽ, per fidẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu. Cuius pronunciati quò fidem faciat, addit: Oĩs ſcriptura diuinitus*

Hiero. in li. de ſcriptoribus.

2.Theſ.2.

1. Cor.15.

1.Cor.11.

Epiſtola 111.cap.6.

2.Theſ.2.

Per Paulum.

inspirata, vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Quibus verbis apertè satis indicat, quicquid de doctrina desiderari possit, in sacris literis contineri. Ait enim scripturam vtilem esse, primò ad doctrinã, id est, abũde demonstrare, quæ nã sint vera ac retinẽda dogmata, & quomodo ea discerni, cõprobari, defendiq; debeant: deinde, vtilem esse, ad redargutionem, id est, ad confutanda, euertendaq; falsa & explodenda dogmata. Prudenter verò tacuit Artopæus priora Apost. verba: Tu verò ꝑmane in ijs quę didicisti, & credita sunt tibi (siue vt alij vertunt, certò credidisti), sciẽs à quo didiceris: & q̊d ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutẽ ꝑ fidẽ, quę est in Christo Iesu. Ex his qppe verbis, luce clariùs patet, Paulũ à Timotheo duab' de causis exigere stabilitatem in his quæ didicerat Timotheus: tũ quia ab ipso Apostolo Dei ea didicisset, tũ qa sacrarũ literarũ ab infantia peritus fuisset. Manifesta est ergo euersio Paulini sensus: ita scilicet Paulum interpretari, veluti diceret: Solæ sacræ literę te possunt instruere, cùm Apostolus & aliã causam eũ instituentẽ ad salutẽ, ibi adiungat, nẽpe ꝙ fidẽ acceperat ab ipso Apostolo: dũ Paulus nõ tantũ scripturis, verũ etiã signis & prodigijs suã doctrinã asseruerat. Deinde, hęc oĩa dicit Apostolus de scriptura veteris testamẽti (neq; enĩ Timotheus euangelicos libros, vel Pauli epistolas ab infantia nouerat) quam certũ cuiq; est ea nõ continere, quę in euangelijs & apostolicis literis, nobis ad salutẽ necessaria leguntur. Primò enĩ, nõ docet exhibita esse quæ adhuc promittebat. Secũdò, verissimè de lege dictũ est, ꝙ

Hebr. 10. vmbram haberet futurorũ bonorũ, non ipsam rerum imaginem. Vmbra verò extrema duntaxat lineamenta corporis, non ipsorum membrorum di-

stinctionem

ſtinctionem, aut colores inſinuat. Itaq; quum iam ſæpe cõtrouerſia oriatur, nõ de ipſa vmbra, vel extremis lineis, ſed de ipſa membrorum, deq; colorum differentia, nunquid hæc ex ſolius vmbræ inſpectione inueniri poterit? nequaquam. Quid ergo nos miſeri nobis perſuademus? nec ipſi enim Apoſtoli potuerunt omnia ex ſcripturis veteris inſtrumenti percipere, ſed opus habuêre & à Chriſto inſtitui, & Chriſti verba retinere, atque à ſpirituſancto poſtea de multis edoceri. Vnde & ipſi deinceps ſuis diſcipulis, non ſolas ſcripturas veteris inſtrumenti, ſed & alias tradiderunt. Non eſt igitur quod putemus, oĩa ad ſalutem neceſſaria, ex ſolis ſcripturis veteris inſtrumenti poſſe percipi. Cæterum quid cauſę, ꝙ tãtopere cõmendet veterẽ Apoſtolus ſcripturã? Primũ quidẽ, ꝙ multã claramq; doctrinã, ſed credentibus in Chriſtum, tradat. Secundò quòd vbi ipſa hoc nõ pręſtat, Chriſtũ tamẽ & eius Eccleſiam demõſtrat: vnde nimirũ eã petere liceat. Quẽadmodũ cõtra Donatiſtas diſſerens Auguſtinus teſtatur: Sequimur ſanè (inquit) nos in hac re (nẽpe, nolendo iterũ baptizare ab hæreticis baptizatos) etiã canonicarũ authoritatẽ certiſsimam ſcripturarũ, cũ hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat authoritas, vt quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quęſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat. Vnde ſicut Apoſtolus dicit ꝙ poſſunt ſacræ literæ veteris inſtrumenti Timotheum inſtruere ad ſalutem per fidẽ, quæ eſt in Chriſtum: quia ſi deſit fides in Chriſtum, menſa ſcripturę fit in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum: ita dicere oportet, quòd poſſunt inſtruere hominem ad ſalutem, ſed per fidẽ eccleſiæ, cui vtiq; non ſeruientes (iuxta

Luc. 24. Ioan. 16.

2. Tim. 3.

Li. 1. cõtra Creſconium grammaticum, cap. 43.

Pſal. 68.

Esa.60. Esaiæ vaticinium) necesse est perire. Non enim minus necessarium est tenere corpus, quàm caput, siue Ecclesiam, quàm Christum: Sicut manus nō minus adhęrere debet brachio quàm capiti. Vnde pręclarè Augustinus: Totus Christus (ait) caput & corpus est. Caput vnigenitus Dei filius. & corpus eius, Ecclesia: sponsus & sponsa. duo in carne vna. Quicunq; de ipso capite ab scripturis sanctis dissentiūt, etiam si in omnibus locis inueniātur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus: Quicunq; de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ nō cōmunicāt: nō sunt in Ecclesia. quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiūt. Verbi gratia, Qui non credunt Christum in carne venisse de virgine Maria, ex semine Dauid, quod apertissimè scriptura Dei loquitur, aut nō in corpore ipso resurrexisse in quo crucifixus est, & sepultus est: etiam si per oēs terras inueniantur, per quas est Ecclesia, nō vtiq; sunt in Ecclesia: quia ipsum caput Ecclesię nō tenent, quod est Christus Iesus, nec in aliqua diuinarum scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis & apertissimis earum testimoniis contradicunt. Item quicunq; credunt quidē quòd Christus Iesus, ita vt dictū est in carne venerit, & in eadē carne in qua natus est, & passus, resurrexit, & ipse sit filius Dei, Deus apud Deum, & cum patre vnum & incommutabile verbum patris, per quod facta sunt omnia: sed tamen ab eius corpore quod est Ecclesia ita dissentiunt, vt eorum communio nō sit cum toto, quacunq; diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est eos non esse in catholica Ecclesia. Hæc Augustinus.

Lib. de vnit. ecclesiæ, ca. 4.

Ecclesiam Christi non delirare senio. *Cap.* XXVI.

SEd Artopæus sibi videtur habere, cuius Ecclesiam criminetur. Dicit enim superstitionem ante

ante annos plus minus mille ducentos hæreseos damnatam, & repressam vigilantia episcoporum, in hac ecclesiæ senecta obtinuisse. & addit: *Vsu venit ecclesiæ senescēti, quod de senectute canit Poëta Satyricus:*

Circumsilit agmine facto, morborum omne genus.

En egregiam, è scripturis scilicet desumptam, de Christi ecclesia sententiam. Sic olim Luciferiani, Donatistæ, Arriani, de sua quisque paucitate gloriantes, iactabant in fine seculi ecclesiam in paucitatem summam redigendam: vt sic eam iam demum apud se relictam persuaderēt. Et de exemplo quidem Artopæi quàm falsum sit suprà satis ostendimus, dum dicebam⁹ quid de Collyridianis scripserit Epiphanius. Nunc ergo expendamus, quod de senescente dicit ecclesia. Vísne intelligere, ô Artopęe, qualis sit ecclesiæ Christi senectus (si tamen longæuitas temporis dicenda sit senectus)? Pro eo (inquit Esaias) quòd fuisti odio habita & derelicta, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem. Audi item quid ipsamet, nō iuuencula, sed anus animosa ecclesia dicat: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, sæpè expugnauerūt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Audi denique quid Christus de se, & ea corpore suo dicat: Vsque in senectam & senium, Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est. Et iterum: Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & bene patientes erunt: vt annuncient quoniam rectus Dominus Deus noster. Manet igitur semper inuicta ecclesia, nec instar senis hominis à morbis hæreseon, idololatriæ, & superstitionum, agmine facto circunsiliri potest: iuxta Christi promissa: Portæ inferi nō præualebūt aduersus eam: &, Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad seculi cōsummationem. Non est autem

Hier. cōtra Luciferianos. Aug. de vni. eccles. cap. 13. Pseudochrysost. in opere imper. in 1. ca. Mat.

Esa. 60.

Psal. 128.

Psal. 70

Psal. 91.

Mat. 16.
Matt. 28.

dubium, quin cùm morborum omne genus (vt Artopæi verba repetam) circunsilit, agmine facto, senescentem hominem, aduersus eum tandem prævaleat, vt vita cum eo non maneat. Aliter porrò q̄ Artopæus, de ecclesia velut semper iuuenescēte per Christi spiritum (propterea quòd per eam omnes electi, munere ipsi credito, saluari debent) loquitur martyr Irenęus, episcop' Lugdunen̄: Fidē (inquiēs) perceptam ab ecclesia custodimus, & quæ semper à spiritu dei, quasi in vase bono eximiū quoddā depositum, iuuenescens & iuuenescere faciēs ipsum vas, in quo enim creditum est Dei munus, quēadmodū aspiratio plasmationi, ad hoc vt omnia mēbra percipientia viuificētur, & in eo disposito est cōmunicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, arra incorruptelæ, & confirmatio fidei nostræ, & scala ascensionis ad Deū. Verū quid hîc occupamur vt ecclesiæ senectutem contra Artopæum defendamus? quum eum non pudeat, idem ipsum malum iuuenescenti ecclesiæ tribuere: quòd nempe vix dum oriens, erroribus & superstitionibus plurimis scatere cœperit: vt alibi demonstrabitur.

Lib. 3. cap. 40.

Non esse superstitiosum, æstimare quibusdam martyribus præ alijs concessam esse à Spiritu sancto gratiam curandi corporum infirmitates. CAP. XXVII.

DIcit deinceps Artopæus: *Excreuit in immensum vt fit, neque modum insaniæ suæ posuit, admissa semel stuperstitio. Etenim tanquam otio se mancipasset supremus ille rector, & prouidentiæ suæ munera, in spiritus mortuorum distribuisset, ita cuiq; suam potentiam & curationem humana attribuit temeritas, & munus suum atq; officium singulis aßignauit. Tanquam dij tutelares præfecti sunt regionibus, insulis, prouincijs, ciuitatibus, domibus, præfecti elemētis, frugibus, pecoribus, opibus omnis generis, præfecti artibus & opificijs, præfecti morbis.*

denique

deniq; eò res rediјt, vt parum ab Ethnicorum idololatria pseudochristianorũ abfuerit vecordia. Artopęo respondemus: Sicut prouidentiã Deo nõ aufert, qui Deum per angelos varia munera obeũtes, creaturã corporalẽ administrare & varijs charismatib⁹ ecclesię mẽbra donare asserit: ita nec qui eũ suos martyres diuersis, variisq; Spiritus s. distributionibus, ad nostrã vtilitatẽ exornasse docet. Verũ si pseudochristiani censendi sint, qui ad sancti vnius memoriã petunt à Deo sanitatẽ, ad alterius verò aliud, haud dubiè & Aug. dicere cogemur pseudochristianũ, vtiq; dicentẽ: Vbiq; quidẽ Deus est, & nullo cõtinetur, vel includitur loco, qui cõdidit omnia, & eũ à veris adoratorib⁹ in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiẽs, in occulto etiã iustificet & coronet: verũtamẽ ad ista quę hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius cõsiliũ perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiãt, in alijs nõ fiant? Multis enĩ notissima est sanctitas loci, vbi beati Felicis Nolensis corpus cõditũ est: quò volui vt pergerẽt, quia inde nobis faciliùs fideliusq; scribi potest, quicquid in eorũ aliquo, diuinitus fuerit propalatũ. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriã sanctorũ, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones cõfitentur, furẽ quendã, qui ad eum locũ venerat vt falsum iurando deciperet, cõpulsum fuisse cõfiteri furtum, & quod abstulerat reddere. Nunquid nõ & Africa sanctorũ martyrũ corporibus plena est? & tamẽ nusquã hîc scimus talia fieri. Sicut enim quod Apost. dicit, Non omnes sancti habent dona curationũ, nec omnes habent dijudicationem spirituũ: ita nec in omnibus memorijs sanctorũ ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuiq;, prout vult. Rursus, si pseudochristianorum sit, putare sanctos quasdam ciuitates peculiariter iuuare, profectò præter Augustinum erat & Leo pseudochristianus, dum sermone

Epist. 137

1. Cor. 12.

Aug. li. de cura pro mor. c. 16.

primo

Leo. primo de Petro & Paulo diceret: Sicut nos experti sumus, & nostri probauêre maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiã Dei, semper nos specialium patronorũ orationibus adiuuãdos, vt quantũ propriis peccatis deprimimur, tantum apostolicis meritis erigamur. Et sermone 2. de iisdem: Si hanc Petrus pietatis suę curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbique prętendit, quanto magis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis thoro, eadẽ qua præsedit carne, requiescit? Quid pluribus opus est? Pseudochristianus erat ergo & Ambrosius, dicens: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata lauerunt. Isti sunt Dei martyres, nostri pręsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum. Prudẽtium quoque, Paulinũ, Basilium, Chrysostomum, Maximum, & Theodoretum facis, Artopææ, pseudochristianos: vt liquidò cõstat cuiusque eorum antea productam à nobis sententiã relegenti. Si itaque Veteres fuêre pseudochristiani, demonstrentur, obsecro, nobis ante exortũ Lutherum, & si vultis, dãnatum VVycleff, veri christiani. Postremo subnectit Artopæus: *Pseudochristianorum vulgus, quasi hominum patrocinium soli suscepissent diui, aut soli iuuare & possent, & vellent, sic ad eos confugiebant, & opem ab eis petebant, Christo ferè neque in precibus vnquam, neque in optatis neque in votis occurrente: ac si, aut inuisos ille nos haberet, aut nostri curam gereret omnino nullam.*

Lib. de viduis.

O ingratos. A quibus quæso Christũ didicistis, nisi ab eis quos pseudochristianos vocatis? Et quod tãdem non effingent impudentes homines mendacium? Cùm enim maximè Deiparam semper ideo coluerit vulgus christianum, quòd ex ea natum scirent Chri-

rent Christum saluatorem suum: quî potuit fieri, vt animis eorum nō occurreret Christus? Vter magis Christi meminit, ísne qui eū solus precatur, nullum comprecatorem adhibens, an verò, qui vnà secum multos ascìscit comprecatores? Certè Augustinus de exultantibus ad miracula Stephani protomartyris agens, alio spiritu quàm aduersarij loquitur. Quid erat (inquit) in cordibus exultantium, nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est? Rursum: Nunc fiunt miracula in Christi nomine, siue per sacramēta eius, siue per orationes eius, vel memorias sanctorum eius. Augustino igitur memoria Sanctorum, & petitio orationum eorundem, vsq; adeò non obscurat Christi nomen, vt etiā magis illustret. Alio spiritu & Hieronymus dicebat: Omnium ecclesiarū populi occurrerunt sanctis reliquijs: & tanta lætitia, quasi præsentem viuētemq; prophetam cernerent, susceperunt: vt de Palestina vsq; ad Calcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent, Videlicet adorabant Samuelem & non Christū: cuius Samuel & Leuites, & Propheta fuit. Hæc Hieron. Postrema illa sua verba desumpsit Artopæus ex Caluino, ijsdem ferè verbis (cap. 15. Institutionis paragrapho 15. & 16.) dicentis, in papismo Deum obsecrari per merita sanctorum Christo præterito. Quod tam procul à nobis abest, vt nullam in ecclesia orationem, qua iuuari precibus & meritis sanctorum precamur, cōcludamus, nisi adiecta hac particula: Per Dominū nostrum Iesum Christum etc. Et addit Caluinus: *Neque modò, quod olim Israelitis exprobrabat propheta, secundum vrbium numerum dij sunt erecti, sed secundùm capitum multitudinem.* quasi videlicet Christus, deorum multorum cultum, quem nec Iudæi, nec Turcæ habent, apud solos Christianos reliquerit. Ecce, christiane lector, sic honorāt Christum,

Lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. in fine.

Cōtra Vigilātium.

Hiere. 2. & 11.

ſtum, qui eius eccleſiam ſuis commentitijs doctrinis proſcindunt.

Epilogus conſonæ ſanctorum patrum ſententiæ ſuper inuocatione ſanctorum. *CAPVT XXVIII.*

HActenus ad ea quæ Mõhemius & Artopęus contra ſanctorum inuocationẽ produxerũt, reſpõdiſſe ſufficiat. Tu verò chriſtiane lector, omiſsis contentionibus, & nugis argumentorũ friuolorum, conſidera conſenſum atq; confeſſum tot tamq; venerabilium patrũ, quos diuerſis ſeculis & locis florẽtes citauimus. Inter quos primo loco poſitus Irenęus, virginis Euę aduocatá appellat Mariam: Hilarius apoſtolos, prophetas & patriarchas, noſtros eſſe dicit cuſtodes. Baſilius docet populum ſuum orare quadraginta martyres, & Mamantem martyrẽ ex nomine à populo ſuo fuiſſe aduocatũ. Gregorius Nazianzenus dicit virginem quandam rogaſſe virginem Mariam, vt periclitanti ſibi opem ferret: Ipſemet Cyprianum inuocat. Rurſum, dicit hoc munus ſanctis animis à Deo cõmiſſum, vt quæ in honorem eorum fiunt, reſciſcant. Dicit Athanaſium ante ſe vita iam defunctum, ab alto res noſtras inſpicere, manumq; pro bono laborantibus porrigere. Ephræm deuotiſsimè pro ſeipſo martyres orat, vt eorum precibus apud Dominum adiuuetur. Hieronymus connumerans Vigilantium inter hæreticos, inter cætera eius vitia recenſet, quòd reprehenderet eos qui martyres precabantur. Dicit etiam (de ſanctis loquens): Hi qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt. Dicit Ambroſius; Martyres obſecrandi ſunt, non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere etc. Auguſtinus vtilem aſſerit ſepulturam apud memoriam ſanctorum, vt defuncti eiſdem ſanctis tanquam

tanquam patronis adiuuandi apud Dominum, ab amicis hîc viuentibus orando commendentur: &, quòd moris sit fidelibus, vt martyri animam dilectam commendet precantis affectus. Dicit Iob angelos precari. Chrysostomus narrat imperatorem sanctis supplicare ad sepulchra eorum, vt pro se apud Deum intercedant: Insuper quòd ille idem Apostolos Petrum & Paulum, vt protectores orabat. Prudentius, in hac re nimis copiosus, dicit martyres sanctos audire preces orantium, & eas ad aureis regis æterni ferre; Populum quoque christianum inuocare martyres, & impetrare postulata: ideóque ipsemet eorum opem implorat. Paulinus Nolanus sese ac Therasiã sancto Claro commendans dicit:

Clare sub æterna pace beatus agis.
Hæc peccatorum bonus accipe vota precantum,
Vt sis Paulini Therasiæq; memor.

Rursus epistola 13. de sancto Felice loquens, ait: Cui toties vota mea contestatus sum, & promissa recitaui, quoties à te cauta reminisceris. Maximus dicit, Inuocasti vbique martyrem, vbique te exaudit ille, qui honoratur in martyre. Moderante itaq; eo, qui pensat vota tua, & dispensat munera sua: in tantum vicina efficacis præsentia præbebitur aduocati, in quantum fuerit fides deuota suscepti. Fulgentius, de Deipara loquens: Ideo (inquit) omnes naturæ cursus suscepit virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret. Gregorius de quadam puella loquens: Petijt (inquit) illa diu à sancto Petro, vt sanari mereretur, & sanata est. Beda ait: Seniores Iudæorum ad Dominum mittere

mittere debemus, hoc est, summos ecclesiæ viros, qui nos ad dominum præcesserunt: suppliciter obsecrando patronos acquirere, qui nobis testimonium reddentes quod ecclesiam diligamus & quantum in nobis est ædificare curemus, pro nobis apud Dominum nostrorumq; peccatis intercedant. Bernardus dicit: Eorum qui iam peruenerunt, viuentibus solatia nequaquam deerunt per Deum, qui vbiq; est, & in Deo nusquam affectu charitatis absentium. Theodoretus: Homines qui prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi à martyribus petũt: qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri, & mulieres dari sibi filios petunt: qui verò parentes sunt, integra sibi & propria custodiri, quę consecuti sunt, dona. Item qui peregrè aliquò proficiscuntur, petunt sibi martyres comites esse in via, vel potius itineris duces: qui verò sospites iam redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes: non qui ad deos se accedere arbitrentur, sed qui orent Dei martyres, intercessorésq; sibi apud Deũ aduocent. Deniq; vniuersales synodi, sexta, & septima. Inuocet (inquit sexta) christianus sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. Septima: Cũ Dei timore omnia agamus, postulantes intercessionem incõtaminatæ Deiparæ, & semper virginis Mariæ dominę nostrę: item sanctorum angelorum, omniumq; sanctorum.

Vide Ber. ser. 5. in festo oĩm sanctorũ, & ser. de 4. modis orandi.

Comparantur sententia aduersariorum cum sententia patrum. *CAPVT XXIX.*

ET tu Artopæe, omnes hos patres aspice: ipsos etiam atq; etiam deposito tumore ceruicis intuere. Itáne tãdem, iuuenis (te enim discipulum dicis Monhemij) confidentissimè cõsolari te de-

te debes, quia talibus displices: an lugere? Nimis certè petulāter ecclesiæ magistris insultas: nec satis scitè dicis, *Augustini episcopi authoritatē, beati Bernardi eruditi alioqui & sancti abbatis opponimus hallucinationi:* Nec hoc quoq;: *Si putant hæreseos cauterio inuri Monbemium Bernardi testimonio, non paulò vetustior est Bernardo Epiphanius.* Hæc, inquam, parum scitè scribis, cum iam, si oculos aperias, videre posśis & Augustinum cum Bernardo idem docere, & Epiphanium nobis non aduersari. Naziãzenum & Basilium, dum tuæ sententiæ non satis fauere cognoscis, primò sub rethoricis figuris excusas: & addis, eos in preces publicas non admisisse sanctorum inuocationem, aut vt commune dogma ecclesiæ non asseruisse: quū contrarium eorum verba à nobis allata apertè contineant. Deinde, eos nimia diuorum admiratione hallucinatos esse clamitas. Quod vt stabilias, Basilium dicis etiam ab episcopo suo Eusebio ob superstitiones quasdam reprehensum. Sed vtinam quænam illæ sint, non tacuisses: vt defendendi catholicum & verè religiosum virum Basilium à superstitione (nescio qua) daretur locus. Lego eum contumelia affectum ab Eusebio: verùm de superstitione nulla mentio. Lego insuper eum ab ijs qui fidem orthodoxam in eo reprehendebant ob psalmodiam institutam, modúmve melodiæ, & ob monachorum societatem notatum. Et fortè hę sunt superstitiones quę tibi in mentem venerunt. At nobis & veritati, sunt cultus Deo gratisśimi. Nazianzenum autem dicis imperitum scripturarum: idq; ex ficto Theodoreto. Sub nomine enim Theodoreti citas catalogum episcoporum, & Cæsarum (qui latino Theodoreto est adiunctus): cùm nullo modo sit Theodoreti, sed multò posterioris cuiuspiam scriptoris, qui ordinē etiam temporum in recensendis episcopis, non tenet, multaq;

 menti-

mentitur. Cæterùm hoc demus (quod tamen à vero alienissimum est), exactam scientiam scripturarum defuisse Nazianzeno: nunquid saltem hoc dogma ei defuit, quod vrges, & clarum in clarissimis scripturis extare putas: videlicet idololatriam vitandam, & quod Deo proprium est, hominibus non tribuendum: & ideo neminem inuocandum præter Deum? Tertiò friuolam rationem adducis, ne verba illorum (Basilij & Nanzianzeni) simpliciter accipiantur: *Et si quis* (inquiens) *velit vrgere has panegyricas apostrophas, nonne sacrilegum dogma cudet: animæ scilicet beatæ communione animam peccatricem & miseram fœlicitari?* quasi qui hîc adhuc viuentes rogat, credat se illorum communione fœlicitari. Quartò aliam allaturus solutionem (vt non dicam elusionem) ad eorum verba: *Ipsi patres* (inquis) *declarant se ex affectu magis quàm vero iudicio sic locutos fuisse*: atque inde dicis, Gregorium mirè Basilio suo affectum fuisse: Quasi ex affectu, & non ex iudicio, dicat episcopus subditis: martyres sanctos esse orandos, Quasi, inquam, ex affectu hoc scriptum sit: Virgo periclitans inuocauit Dei genitricem, & subuetum est ei. Denique, in omnes formas te vertens, dicis: *Lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 17, loco videlicet à theologastris citato, ea habet Augustinus, quæ argumentum Mateologorum prorsus eneruant, etiamsi id haberent ab ipsis citati patres quod contendunt. Ita enim loquitur: ô quàm gaudet Cyprianus, quanto sereniùs in illa luce contuetur, pro quanta humani generis salute factum sit, vt inueniatur aliquid quod meritò reprehendi poßit, quamuis in christianis & pijs literis oratorum, & non inueniatur in literis piscatorum. De hoc ergo gaudio sanctæ illius animæ omnino securus, neq; vllo modo meas literas ab omni errato liberas audeo vel putare, vel dicere. Hæc Augustinus. Oratores nimirum fuerunt iam citati pa-*

bati patres, Gregorius, Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, in quorum literis, quanuis christianis, & pijs, quędã inueniãtur quæ reprehendi mereantur quòd sint erronea: qualia non inuenias in literis piscatorum Petri, Ioannis, & similium. quare his tutò credimus: illis non item. En hęreticum tumorem. Te, tuósq; magistros iudicas in scripturis inuenisse dogma, quod tot tamque eruditos, & præclaros patres latuerit. Et quale dogma? vnde videlicet tota ecclesia, in qua pręcelluerunt, quósq; ipsa ecclesia vt patres secuta est, accusetur, velut quæ ipsum primum præceptum trãsgressa sit, Deo iniuria dum eius cultum ad creaturas trãstulit, & Christo mediatori, cũ eius officium alteri attribuit. Itâne, Artopæe, apud te omnis fides promissionis Christi euanuit, vt hæc non solùm cogitare, sed & scripto legenda cõmittere audeas? Et à quibus, dic obsecro, scripturis cõpelleris ab istis ecclesiæ patribus discedere, nisi quę nihilomagis contra inuocationem sanctorũ in cœlo agentium, quàm contra eam orationem qua hîc adhuc viuentes obsecramus, militare queat? vt patet discurrenti per singulas. Ad Augustinũ respondemus, quòd etsi rectè dicat, meritò in literis oratorum posse reprehendi quædam: vt quod Cyprianus contra totam Ecclesiam docuit de baptismo (cuius rei gratia hęc verba scripsit), absit tamẽ vt ea reprehẽdat, quæ per totam ecclesiam sunt obseruata, ac vno ore ab omnibus ecclesię pastoribus tradita. Deus intercedentibus sanctis te tam graui errore mortuũ suscitet. sin minus: saltem ne alijs noceas efficiat. Concludere libet Augustini verbis: quibus quidem Iulianũ ipse conueniebat, nos verò Artopęũ & eius similes. Isti episcopi sunt docti, graues, sancti, acerrimi defensores veritatis aduersus garrulas vanitates: in quorũ ratione, eruditiõe, libertate (quę tria bona vulgò tribuũtur iudici) nõ potestis Lib. 2. cõtra Iulianũ ca. vlt.

inuenire quod ſpernatis. Si epiſcopalis ſynodus congregaretur, mirum ſi tales poſſent illic facilè ſedere tot: quia nec iſti vno tempore fuerunt, Sed fideles, & multo excellentiores, paucos diſpenſatores ſuos Deus per diuerſas ætates temporum, locorumq; diſtantias: ſicut ei placet & expedire iudicat, ipſe diſpenſat. Hos itaque de alijs atque alijs temporibus atq; regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos videtis: non in locum quo nauigare cogantur homines, ſed in librum qui nauigare poſsit ad homines. Quanto vobis eſſent iudices iſti optabiliores ſi teneretis catholicam fidem, tanto vobis ſunt terribiliores, quia oppugnatis catholicam fidem: quam in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum, paruis magníſque miniſtrauerunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, vnde nunc reuelamini, apertiſsimè ac fortiſsimè defenderunt. Talibus poſt Apoſtolos eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit. Ideò prophanas voces veſtræ nouitatis expauit, & cauta ac ſobria ex admonitione apoſtolica, ne ſicut Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & mens eius corrumperetur à caſtitate quæ eſt in Chriſto Ieſu, catholicæ fidei virginitati inſidias veſtri dogmatis ſubrepentes exhorruit, & tanquam caput colubri conculcauit, obtriuit, abiecit. His igitur eloquijs ac tanta authoritate ſanctorum, profectò aut ſanabimini Dei miſericordia donante, quod quantum vobis optem, videt qui faciat, aut ſi quod abominor, in eadem quæ vobis videtur ſapientia & eſt magna ſtultitia perdurauerітis, non iudices quæſituri eſtis vbi cauſam veſtram purgetis: ſed vbi tot ſanctos, doctores egregios atque memorabiles catholicæ veritatis accuſetis, Irenæum, Hylarium, Baſilium, Gregorium Naziãzenum, Ephræm, Hieronymum, Ambro-

Ambrosium, Epiphanium, Chrysostomum, Augustinum, Prudentium, Paulinum Nolanum, Maximum, Fulgentium, Gregorium, Bedam, Bernardum, Theodoretum, cæteróſque socios ac participes eorum, insuper & vniuersam Christi Ecclesiam: cui diuinæ familiæ, dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt.

FINIS.



Scriptum istud ego censeo cum vtilitate & fructu lectorum posse excudi.

Iudocus Rauesteijn Tiletanus, Doctor Theologus.

ERRATA.

Fol.1.facie 2.linea vltima pro,orationibus:lege orantibus. Fol.2.fac.1.sub finē, in margine:lege, Lib.2. de bono etc.Fol.13. fac.2.lin.18.pro orationis:lege, orantis. Fol.26.fac.1.lin.28. lege Athanasius. Fol.40.fac.1.lin.12.pro nec,lege ne. Fol.50.fac.2. lin.14.lege,Donati.Fol.53.fac.1.lin.15.lege,aduolui.Fol.55.fac. 2.lin.11.lege,Apostolo.

TABVLA

TABVLA CAPITVLORVM HVIVS LIBRI: ET

primùm, eorum quæ ſunt in refutatione erroris circa orationem admiſsi.

Deinde Tractatus De Inuocatione Sanctorum.

tyres.

FINIS.

LOVANII
Typis Stephani Valerii Typog.
Iurat. Anno 1562.

